




Penoti
denarius medicus et de Alchemia.
Bernae, 1608.
VI
N










p. 67 numbered 76.




BERNARDI PENOTI A PORTV S. MARIÆ AQVITANI, DE DENARIO MEDICO, QVO DECEM MEDICAMINIBVS, omnibus morbis internis medendi Via docetur.

Cui plures alij Tractatus additi sunt, quorum Titulos indicat versa pagina: Cum Indice, ad calcē adiecto.

OMNIA AB VNO

ORDO NATVRÆ



OMNIA AD

VNAM

BERNÆ HELVETIORVM,
Excudebat IOANNES LE PREVX, *Illustriss. DD. Bernensium Typographus.*
M. DC. VIII.

1608

ELENCHVS BREVIS EORVM, QVÆ IN HOC VOLVmine continentur.

I. Epiſtola ad Doctiſs: Andream Libauium.
II. Præfatio, in qua varia exempla, & alia lectu digniſſima habentur.
III. Tractatus de Denario Medico.
IIII. Notæ caſtigatoriæ in eundem.
V. Balſami cuiuſdam ſimplicis deſcriptio, non magno labore parabilis, quo omnibus vulneribus deſperatis mederi poteſt, intra ſpacium 24. horarum.
VI. Specificæ Receptæ ad quoſdam morbos ſpecificos, & particulares
VII. Specificum remedium ad Cancrum.
VIII. Alius Tractatus, continens varia, de vera materia lapidis Philoſophorum; dicatus Doctori & Profeſſori Medicinæ Clariſſimo, D. Ioachimo Tanchio.
IX. Præfatio Apologetica aduerſus D. Nicolaum Guibertum Lotharingum, qui artis Chemicæ Veritatem, eiúſque certitudinem conatus eſt, ſcripto ſuo, euertere.
X. Item alij duo Tractatus aquarum Mercurialium, quibus quæque metalla in Mercurium currentem vtuntur.
XI. Quædam Axiomata Phyſica, quibus Lapidis materia notatur, & deſcribitur.
XII. Item Iſaaci Hollandi Clauis artis Chemicæ; Illuſtriſſimo Principi Friderico, Duci Wirtembergico &c. dicata,

EPISTOLA



EPISTOLA DEDICATORIA.

Præclarißimo, omníque cœlesti dono ornato viro, Domino Andreæ Libauio, Med. Doct. & Poëtæ Laureato, Bernardus Penotus à Portu S. Mariæ Aquitanus, summam fœlicitatem precatur.



ITTO ad te (Libaui Doctissime) scriptum, nouam quandam medendi methodum continens, ab insigni Medico conscriptum, mihi verò duabus conditionibus commissum, vt scriptum nimirum illud meis scholiis illu-

ſtrarem; deinde, vt in Vulgus illuſtratum emitterem. At tenuitatis mihi meæ conſcius, priorem quidem primò rejeci conditionem. Verùm quum poſteâ in animum inducerem illam methodum in vulgus dare: cœpi apud me cogitare, inſurrecturos in me plurimos, qui factum id meum damnarent; Blateronêſque qui in me turpia effutirent; accuſarent, quod hũc Denarium ederem, vt ita Practicis iniuriam facerem, & ſtudioſam iuuentutem à vero philoſophiæ ſtudio reuocarem: dejerarent, oſtentationis gratia, non communis vtilitatis ratione, hunc me ſuſcepiſſe laborem. Contra has omnes calumnias, vt tuerer me, Patrono mihi opus eſſe, iudicaui: & ſeſe offerebant quidem plurimi, qui me, qui meum hoc fa-

ctum, qui vltimas meas defenderent lucubrationes. At aliis deerat authoritas, aliis rerum cognitio, & ſcientia, aliis ſplendor generis, aliis vitæ integritas, & morum facilitas, quibus tamen omnibus ornatum eſſe debere exiſtimabã eum, qui iſtud poſſet præſtare. Circumſpicienti igitur mihi vndiquaque; Tu vnus occurriſti, LIBAVI, Germaniæ, & literarum decus, apud quem, veluti conſpiratione facta, artes, diſciplinæ, virtutes denique omnes ſedem ſuam poſuerunt. Fortunæ etiam, & animi ditiſſimus, generis nobilitate, & rerum omnium, & diſciplinarum ſcientia clariſſimus in Germania. Sed an, accenſa face, Soli clariſſimo lucem afferam? Ad te igitur accedo, tuæque fidei, & profectioni quicquid iſtius mei laboris eſt, trado, committo, commẽdo: ſpero enim

me tua humanitate, fide, & nomine tanquam Miltiadis clypeo tectum, omnes aduersariorum ictus elusurum, neque futurum quemquam, qui, si te mihi, operíque meo defensorem esse intellexerit, non statim obmutescat. Verùm hic forsan occlamabis; Ecquis tu es, homo, qui ista a me petis? Qui studiis obstrepis? Quæ Patria, atque Parentes; Respondebo, LIBAVI doctissime, Homerico versu, illud mihi accommodans, quod is de Vlysse scripsit.

Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes. Cum enim in Aquitania Galliæ nobilissima Prouincia natus essem, natale solum derelinquens, Europæ & continentem peragrani & Insulas; ac maiorem ætatis meæ partem, vt mihi artis Chemiæ perfectã scientiam compararem, in peregrina-

tionibus consumsi. Is igitur sum qui senex septuagenarius, atq; adeo fractus annis & laboribus post multas eásque periculosas peregrinationes, nunc tandem Yuerdunum (ea est vrbs ditionis Magnificorum Dominorum Bernensium in Heluetia) appuli, vbi iam senex ago. Is sum Bernardus à Portu S. Mariæ, cuius mentionem sæpius honorificam in tuis diuinis scriptis dignatus es facere. Age igitur, LIBAVI doctissime, Vltimos hosce nostros labores, rudes quidem illos & impolitos, meæ tamen in te voluntatis & obseruantiæ sempiternæ testes, & monumenta, accipe; eosque, pro tua sapientia, foue vt, qui me tui studiosum fuisse audierint, itidem intelligant, quòd cum tibi omnia deberem, denuo tamen maiora tu in me contuleris. Experientur enim,

his lectis additamentis, me fortaſſe cõmuni vtilitati inſeruire, voluiſſe ideoq; id, quod à te poſtulo, faciliùs impetraſſe. Quod, vt facias, vehemẽter oro. Efficies enim, vt qui in puluere & tenebris hactenus vixi, excuſſo nunc puluere, & fugatis tenebris, per te, in loca clariora euadam, omnémque laborem contemnam, ſi hunc tibi gratum cognouerim. Vale Literarum decus, totiúſque Germaniæ ornamẽtum; Tuum quoque Portum exhauſtũ, nominis tui, & gloriæ propugnatorẽ acerrimũ amãdo ama. Quod, ſi feceris, & me iam tibi maximè deuinctum ſummo beneficio in perpetuum obligabis, & ad maiora aggredienda nunc, quaſi dormientem, excitabis. Iterum bene vale, & præſidium & dulce decus meum. Yuerduni, Calendis Ianuarij An. 1608.

BERNARDI P. A PORTV AQVITANI PRÆFATIO,

IN QVA VARIA RERVM abditarum differuntur.



VI vniuersum in parua tabula depingunt, nihil detrahunt de eius Majestate: nec ergo vllum afferunt scientijs præiudicium, qui illas in compendia redigunt; Imo magnam merentur laudem, qui illud pelagus vix per vitam emensibile, qua ratione paucis diebus enauiges, viam scrutantur, sine vllo Veritatis aut facilitatis dispendio. Huc tendit libellus, quem tibi exhibemus; cuius nostri instituti paucis rationes accipe. Magnam artium partem esse, iudicium facere, neminem puto negaturum. Qui enim (inquit Hippocrates) hoc norunt, non videntur mihi in arte multum falli posse. Cùm igitur author hunc nobis paruum Tractatum exhibuerit illustrandum, vt emitteretur in lucem, cur lectu dignus mihi videatur, paucis attingam. Quamuis idem sit, quod aliorum, meum iudicium, nihilominus, hoc consensu, magis firmabitur hominum opinio; addeque etiam hinc excitabitur, qui idem; aut meliora, quàm ego, præstet. Præterea ex hac mea sententia non parua ad huius operis elucidationem, ni fallor, accessio fiet, atque etiam ad aliorum authorum consimilium intelligentiam. Vt rem aggrediar: scribit Galenus, sicut Hippocrates etiam asserit, & olim testatus est

Plato: Non communem tantum omnium hominum naturam medico cognoscendam, sed vnius cuiusque propriam: Deinde verò addit: Etsi in ipsis artis operibus, circa id sufficienter studuerimus, non tamen propriam singulorum naturam, æque ac communem, possibile esse scribere; scripta enim contrario modo se habent operibus, tum in pluribus alijs rebus, tum præsertim in his, quæ spectant ad præsentem intentionem, hoc est, in præscribenda vniuersali methodo medendi, atque in tractandis particularibus singulorum morborum remedijs. Nam operamur particularia, quæ sunt innumera, & quorum ars non est; scribuntur verò in arte vniuersalia præcepta. Quicunque igitur ita scribere potest vniuersalia præcepta, vt maximè promptum sit, ea singularibus, & indiuiduis accommodare, in propria quantitate, qualitate, vtendi modo, & ratione ac tempore conuenienti, hic in scribendo maximè laudandus erit. Quam plurimi graues viri id præstare conati sunt, inter quos Galenus, vt in sua arte parua testatur. Idem tentauit Conciliator Petrus Aponensis; sic enim ille: Et vos iam vidistis, ô doctissimi Canditati Philosophi rerumque naturalium, signorum Cælestium, & motuum bene eruditi, varias ægritudines, super quibus medicorum multitudo laborauerunt, ab alienigenis, cum pauco fundamento artis, curari, quandoque à mulierculis. *Audiamus omnium scientiarum fontem vberrimum Arnaldum Villanouanum Tractatu de Dosibus theriacalibus, sub finem.* Vnus sapientum (inquit) respuit credere, quod in modica quantitate, maxima sit virtus. At Galenus agnoscit, quod modicæ quantitatis humi-

Arnaldus de dosibus theriacalibus.

Galenus

humiditas venenosa quædam è summitate caudæ scorpionis eiicitur, ita potenter & terribiliter, vt citò alteret corpus ictu. *Scimus etiam, quod lapis ille theriacalis, quem Arabes vocant Bezoar, non viridis, sed gypseus, qui de corpore animalis repentis, extrahitur. sumptus in quantitate semilenticulæ potentissime liberet à veneno cuiuslibet animalis nociui. Nec mirabimur ista, cum viderimus magnam medicinam, quam Lapidem Rubrum vocauerunt, in quantitate vnius granj milij, quolibet die sumptum, collectionem duram quindecim annorum, exterius eminentem in latere, infra tres hebdomadas resoluisse. His adnumerandus est Isaacus Hollandus, qui tot virtutes tribuit Rori solis herbæ, vt nullum efficatius, credam reperiri posse remedium, cuius & nos tractamus magisterium, quantis admirandis sit viribus prædita docentes. Tria simplicia ponit in suo Vegetabili, scilicet Zaccharum, Mel, & herbam Roris solis. Istis tribus omnes morbi desperati medentur. Referam Roris solis proprietatem, ob eam rem, quia in eius præparatione versor. Iam docebo, inquit ille, maximum in Vegetabilibus rebus mysterium, cuius vis & potestas ab omnibus artificibus occultata est, seseque alij alijs iureiurando obstrinxerunt, ne libris suis aut scriptis vires herbæ Roris solis, Germanicè* Sindauw *dicitur, proderent. Quisquis igitur integrum opus Vegetabile non habet, non potest vim herbæ illius penetrare. In eo enim opere comprehenduntur omnes vires rerum medicinalium. Iam verò, fili mi, aperiam, cum adiuratione, vt scientiam hanc occultam serues, scire enim debes hanc herbam esse herbam solis, super quam Sol suos radios, & influen-*

Bezoar qualis.

Lapis philosophorum quid præster.

Ros solis, eiusque vires.

Quere in opusculo nostro supra experimenta Paracelsi.

tias expandit,(quemadmodum super aurum in Venis subterraneis) & influit, in hanc herbam plus, quàm in aliam a Deo creatam, vt dilucidè ab antiquis Philosophis cognitum est. Itaque alio colore, aliis foliis, aliaque figura prædita est hæc herba, quàm aliæ omnes; eaque est eius natura, vt quo calidior & acrior est regio, & tempus anni, solisque ardor maior, quoque sol eam diutius torret, eo magis hæc herba madescit. Est enim rore referta, ita vt in eius vna caule plus mille guttæ pendeant. Fac periculum, percute herbam ferula flexili, ita vt decidentes guttulæ in vas vitreum latum incidant, replebitur vas illud rore mirifico. Quòd si sol vehementer ardeat, ramuli illi breui tempore, puta semi horæ spatio, magis roridi erunt, quam antea. Quòd si vigesies ferula rorem deieceris, toties denuò guttis onusta erit. Et, si nihil aliud miraculi cerneretur, quàm vnde roridus hic humor oriri possit, qui tam breui temporis spatio ita copiosus manat, & quò magis sol torridus alias herbas arefacit, eò magis hæc herba madida, & guttis referta sit, quasi aqua perfusa foret. Hinc tamen vires admirandas conjicere possumus, eamque aliquid occulti in se habere. Illam igitur aquam in Vitro collectam, si recondas, ea omnes oculorum morbos, siue a defluxionibus sint, siue ab inflammationibus, sanat. Præterea omnes cordis affectus, & punctiones, hepar & ventriculum calefactum refrigerat, omnémque capitis dolorem a calore prouenientes, mitigat; omniáque phantasmata tollit. Valet etiam ad cancrum mortificandum, ad lupum, & morsum venenatorum animalium, & ad venena hausta, si per os sumatur. Pesti etiam auxiliatur, & ad alia multa valet,
quæ

quæ recensere nimis longum foret. Insuper hæc herba solis colorem præ se fert. Est enim color rubicundus, obscurus, flauis radiis interseptus; estque eius figura in modum stellæ, eiusque proportio Planetæ cœlestis instar, constatque septem ramulis in extremo latis, estque veluti pilis referta. Consistentia tenella, extrinsecus, calida & humida, intrinsecus frigida & sicca: estque temperatissima, vt aurum. Quare eius elementa separari non possunt ab inuicem, vt ex aliis herbis: attamen a fœcibus suis purgari potest. Impedit eius fixio, ne elementa separari queāt: ascendit enim ignis cū aëre per balneū, vt postea docebimus. Terra verò à fœcibus secerni potest, & fæces ab igne & aëre, licet fœces non adeò multas habeat. Latinis quibusdam, Lingua Auis dicitur: alij solariam, a sole: quemadmodum lunariam a luna: Belgæ viri, Sindauw *vocant. At veteres Philosophi vires eius occultarunt, propter eius miranda effecta. Mirumque hominem posse mori (vt ait Arnaldus,) qui quotidie de ea aliquid sumpserit in crassa sua substantia. Quid igitur efficeret, si ad suam tenuitatem adduceretur, & fœcibus suis purgaretur? Hac vi prædita est, vt si in vitrum proijciatur, in quo venenum vino dilutum continetur, aut aliquod poculum venenatum, statim dissiliet vitrum. Si etiam ventri puerperæ alligetur, statim elicietur fœtus, & si intus iam putridus esset. vt sæpe experimento comprobatum est. Hæc herba gestata, & paululum eius quotidie degustatum, quādiu id fiet, ab epilepsia immunē seruat. Ad hæc, si quis Apoplexia corripiatur ita, vt os eius contorqueatur, & loquendi facultas corrumpatur sensusq; ōnes; vnà restituētur omnia, si æger huius herba lino*

succum traiectum, bibat, vt sæpe comprobatum est. Experire; verum deprehendes. Scias, fili, reuera nullam in terris herbam nasci huic comparandam, viribus, & bonitate. Vide igitur ne parui facias. Nisi enim hæc herba adeò copiosa nasceretur, eiusque vires notæ essent, pluris auro, & lapidibus preciosis æstimaretur. Superest, vt doceamus, quomodo progrediendum sit, vt eam ad summum gradum, & quintam essentiam perducamus. At refricare ista, quæ iam dudum in lucem edidi, nauseam pareret: Iiccirco Lectorem ad commentarium nostrum supra Paracelsi experimenta, circa finem libri, relegamus; vbi plura, & maiora designantur. Tu verò, humane lector, eò recurre. Si hoc vnico simplici tot ægritudines curantur, quid cum nostro? Audiamus quid Paracelsus ait. Ex vna arbore sexcentæ imagines exculpantur, quæ tamen vnico igne consumi possunt. Pari modo innumeræ ferè sunt ægritudines, quæ tandem vnica temperatissima æquari, & restitui possunt in summam sanitatem. Ast, quid mirum? Nonne Doctissimi Martini Rullandi Centuriæ extant? quibus docemur ægritudines ferè incurabiles, paucis admodum & simplicibus medicaminibus curari? Addam in nostro Denario, quæ comperta habemus, tam intra, quàm extra corpus. At væ væ, & iterum væ illis, qui Isaaci Hollandi opera detinent: præcipuè vegetabilia; quæ ad medicinam faciunt; quasi verò author pro ipsis solis tantùm laboris insumpsisset; imò tales infideles venalia vndique circumferunt mutilata. Sed quid opus tot testimoniis? cum omnes norint illum naturæ genium Raymundum Lullium vnico medicamine innumeris penè morbis remedium polliceri,

Lib. labyrinth. Medicorum errantium.

Rulandi Cẽturię.

Isaaci opera detinẽtur.

ceri,

ceri. Et quis nescit decantatam illam panacæam antiquis? Quis illud Moly Homero celebratum? Quibus, si adnumeremus hujus æui clariorum luminum testimonia, quis erit adeò perfrictæ frontis, vt audeat negare, possibile decem medicamentis, quæ summi viri vnico præstari posse docent?

PETRVS *Seuerinus Danus in sua* IDEA *Medic. refert, quatuor principales morbos esse, ad quos ferè morbi omnes referri possũt.* 1. *Lepra est, cuius insignia gerunt vlcera omnia, pruritus, scabies, Alopeciæ furfur, squamæ, scißuræ, cutis fœditates, malum mortuum, & similes effectus.*

II. Gutta, seu Podagra est ad quam pertinent Colicæ Nephritides, oxes redentium dolores, Arthritides dolorificæ, fluxiones, Capitis dolor Cephaleæ, Emicraneæ &c.

III. Ad Hydropem referuntur Febres omnes, Apostemata, Icterus, Cachexiæ &c.

IIII. Epilepsia est, ad quã pertinẽt Catarrhi, Paralises, Cordis palpitationes, Spasmi, Vertigines, Melãcholiæ, Apoplexiæ, suffocationes matricis. &c.

Si aliquis horum morborum summus sanatur, sanantur omnes inferiores. Si inditio polles, præcedentia quatuor particularia tibi sufficiunt. Primum particulare est Antimonij Magisterium per me descriptum supra Paracelsi experimenta, pag. 76. vbi etiam de cæteris. Omnium membrorum vnica est conuenientia (inquit Hippocrates) omnium virtutum, spirituúmq; vnicum subiectum est. Iccirco omnia membra ad inuicem dolent. In cerebro enim omnes operationes incipiunt; eius virtus tamquam forma omnium membrorum ea irradians & viuificãs. Multæ passiones incõprehẽsibiles atq; occultæ in corde & toto corpore delitescũt, nobis incognitæ. A-

liquando vermis ad ipsum cor graditur, & cum mordet, interficit. Extrema gaudia tristitiáque maxima, inter eius passiones existunt. &c.

Natura vniuersalis cum paucis principiis operatur mirabilia. Et Medico ingenioso pauca sunt necessaria.





ADMONITIO AD LECTOREM.

SIcuti nullum est periculosius Venenum, quàm id, quod clam, & specie boni fallit: Ita nullus error magis pertimescendus eo, qui occultè, sub alicuius boni prætextu, animis sese insinuat. Eiusmodi multa habent plurimi libelli, qui inter literatos clam versantur, & tanquam arcana asseruantur: à quibus incautiores, dum in iis eximia quædam vident, sæpius portentosarum opinionum venena hauriunt. Inter illos, quem exhibeo Tractatum, non inuitus annumerarim. Fateor equidem me, prima fronte, quàm illius lectionem cœpi, seriò stomachatum, Vulcano illum vouisse. Occurrebant enim ab initio hirsuta æquè; ac insulsa quædam, absurda pleraque, plurima etiam impia, quæ nauseam primum; dein verò haud iniustam bilem mouebant. At mox mihi recurrens, illud Iurisconsulti, de lege non iudicanda ex sola linea sicuti nec de Musica ex sola nota; quinimò legi, & explicari in scholis & Academiis authores magis impios, ideò solum, quia tersi & politi sermonis ornatui seruiant: hæc inquam, & alia tacitè mecum reuoluens, quem indignabundus abieceram, resumpsi: & demum ad vmbilicum perlecto, mutato consilio, quem prius flammis adiudicaram, luci consecraui, rei tùm excellentia, tum vtilitate permotus. Quid enim humanis corporibus salutarius, aut Medicinæ studiosis gratius, quàm immensum illud scientiæ pelagus, cui emetiendo, non sufficerent anni Nestoris, in Decem præcepta breuissima æquè, ac facilia, certáque, ac tuta redigere? Tantò vt te defraudem bono, futuri spes emolumenti haud permittit: prohibet Charitas, & quo in tuũ feror commodum, vetat Zelus. Hæc igitur publici iuris ideò esse; volui, sed hac addita conditione, vt nimirum aut spongiam prius paterentur, aut cẽsoriam virgam comitem

haberent: prius illud nefas duxi, tum quòd scirem ea ratione non tamen obliterari in aliis manuscriptis, pęnè vt (probè scio) infinitis, quæ in meo aut editis exemplaribus litura repurgasset; tum etiam præuiderem quantis clamoribus multi contendissent non mihi id esse iuris, vt aliorum opera detruncem. Hoc verò posterius pernecessarium duxi, tum vt illi qui hunc libellumversant, eum que penes se sacro sub silentio seruãt, me monitore, sibi cauere possint, tum vt eò tutius ab omnibus aliis exciperetur, tum etiam vt me omni suspitione qua potuissem apud te laborare, si sine notis emisissem, purgarem. Has notas si attentè prius legeris, tunc sine vllo periculo, absque vllo pestilentis erroris afflatu, hunc Denarium deuorare, & quæ in eo reperies saluberrima præcepta haurire, & viam tutissimam æquè ac facilem, quæ tibi monstrabitur, sequi licebit: omnia (inquit Apostolus) probate, quæ bona sunt, tenete. His fruere, in DEI gloriam, proximi auxilium & tuum commodum. Vale feliciter.

Tuus B. P. A Portu.



TEXTVS DENARII.



VOD sum pollicitus aliis meis scriptis, ostendere nunc breuiter conabor, sic tamen, vt, si Deus permittat, ad altiora & grauiora progredi possitis; quomodo scilicet Decem tantùm medicamentis quilibet morbus curetur.

Ante Hippocratem[a] vnico medicamento progressi sunt, pro vt cõpertũ est. Duplex[b] itaq; via tenenda est antequam ad Denarium nostrum progrediar; qua viri docti in restituenda & perscrutanda valetudine vsi sunt. A B

VNA[c] pertinet ad Animam, altera Corpus diligenter respicit. Nam quemadmodum homo Anima & Corpore constat; Sic morbi reperiuntur feré infiniti, qui circa vtramque partem versantur. Nonnulli oriuntur ex[d] Anima, vel mente diffida, & imbecilli, quippe quæ vires & facultates proprias non cognoscens, omni se subdit malo: Vnde omnia malorum genera, quæ oriuntur ex Dæmone meridiano; sub quo continentur incantationes, opera magica, influxus, Dæmonum maleficia aliaque mala, quæ singulis dominantur. Quum autem vnicuique potentiæ abstractæ subdita sit potentia corporea, vt experientia compertum est, nihil produci nihilq; agi, quod nõ[g] oriatur a potentia abstracta, a potentia inquam corporea; Ideò C D G

fuerunt, ante Hippocratem, multi viri docti,
qui nulla prorsus medicina corporea vsi sunt,
H [h] sed sola spiritus, & animæ facultate.
I Non modo morbos curabant, [i] non modo
mortuos excitabant, sed elementis imperabant,
vt aqua euaderet solida, & Calybs aër: quod se-
querentur pluuiæ, iam grandines, iam nubes,
& quidem nullo obseruato ordine. Terra fiebat
rara, vt vsque ad abyssum viri illi penetrare pos-
sent, quomodo de ORPHEO, scribitur. Ignis,
qui, sua natura, non potest non comburere, fri-
gidior Aqua reddebatur, quibus de rebus mul-
ti scripserunt. Hoc in præstando, velut vna qua-
que in re, reperitur vehiculum, seu coniunctio
quædam; quæ constat ex re omninò ab-
stracta & simplicissima, & ex re, quæ me-
dium quoddam obtinens, abstractum cum cor-
K pore connectit. Sic duæ repertæ facultates; [k] V-
na quæ solo velle, solo intuitu, sola imaginatio-
ne operatur; sic volo, sic iubeo, nullo addito ad-
L miniculo. Illa est [l] CABALA, qua operati sunt
omnes, quicunque ab initio mundi, miracula e-
diderunt.

M Dolendum est sanè, quòd hæc facultas, [m] in
Christi aduentu, sit extincta; adeo vt ferè nul-
lum extet vestigium eorum, quæ satis apertè,
antè Christi aduentum, florebant. Idque euenit
propter excæcationem, & incredulitates homi-
num, & ignorantiam, quæ homines submersos
retinet, vt nimirum verbo Dei, & promissioni-
bus Christi, & Apostolorum non credant. Ha-
bemus hac de re satis apertum dictum; Quic-
quid petieritis, sine hæsitatione, in nomine meo,
dabi-

dabitur vobis ſic, quod magis eſt admirandū, ſi tantum petenti fuerit fidei, quantum eſt granum ſinapis, plura & maiora eum poſſe præſtare, quàm Chriſtus. Hinc patet præcipuum inſtrumentum non modò ad curandos morbos, ſed ad alia multa præſtanda, ratione illius primæ, & præcipuæ partis hominis, [p] ſcilicet Animæ, conſiſtere in forti, & non cadente imaginatione. P

Altera via, qua progreſſi ſunt viri Doctiſſimi, miraculorum effectores, fuit a rei proprietate. Deplorandum ſanè, quod hac tempeſtate non modò non ſint notæ facultates, & proprietates rerum, ſed etiam nomina, & vocabula lateant. Vt ad rem accedam, dico, dicúntque alij, veræ Philoſophiæ inueſtigatores, DEVM abundanter conceſſiſſe, pro omni morbo curando, remedia, quæ ſubſiſtunt in herbis, fontibus, mineralibus. Ita vt etiam proculdubio cuilibet morbo ſuum remedium aſſignatum ſit, & vnicuique regioni ſint conceſſa quædam naturalia, ad morbos curandos, ea in regione. Et hinc, ex magna DEI prouidentia, in ITALIA vbi dominantur, vt plurimum, morbi calidi, rarò Abſinthium reperitur, & illud quidem in hortis: ſed Cicuta, papauer, & alia frigida, magna copia. Hinc colligitur, ibi plus eſſe oportuna refrigerantia, quàm calida. Sic in POLONIA, & Germania, Vrtica, Abſinthium vbique locorum, magna copia creſcit. Hinc patet, in illis locis, magis eſſe oportuna calida, quā frigida. Et hac ratione ductus quidam Fuchſius Norimbergenſis Medicus, quàm primùm in aliquam

villam venit: accersitus ad aliquem curandum, considerauit circumcirca villam illam simplicia, & ea frequentiora, quæ distillabat cum rebus calidis: (Secum enim Alembicum argenteum ferebat) & sic faciebat quintam quandam essentiam, qua in Polonia omnes morbos curabat: &c. Et vt progrediar; Hæc facultas, quæ
Q magica dicitur, consistit in [q] herbis, verbis, & characteribus. Scio, & DEVM testem inuoco, illud
R verissimum esse characteres [r] quò minus significant, rebus longè valentiores, & præstantiores; & Verba, quæ rebus accommodari non possunt, quæque nihil significant: vt sic non modò decem medicamentis, sed etiam tribus vel quatuor verbis, vel tribus characteribus, omnis morbus leuari possit, qui non est ad mortem; quandoquidem nemo potest superare horam mortis à Deo constitutam.

Ars Cabalæ, quæ procedit per ineffabile nomen IESV, plura efficit, quàm apud Iudæos nomen IEHOVÆ. Sed de his, & aliis eiusmodi, alibi, &c.

Decem illa medicamenta, quibus omnis morbus curabilis curatur, persequamur. Sed hoc secretum, rego, ne cuiquam legendum præbeatis. PICVS Mirandula inquit: Qui nouit quaternarium, per denarium expandere, est in abyssum scientiarum penetrare. Dum igitur dico, decem medicamentis posse curari omnem morbum, sic intellige, vt primùm vnum medicamentum vsurpetur, quàm cætera: dum dico vnum, multa intelligo, quæ vobis nunc aperiam. VNVM significat motorem operatorem.

Hinc collige, nullum medicamentum posse esse efficax, nisi Medicus fuerit simplicis & fortis imaginationis, vt scilicet cognoscat, posse DEVM OPT. MAX, per medicamētū aliquod efficax, ægrum leuare, vt non desperet à misericordia DEI. Deinde illud Vnum debet expandi per quaternarium. Nam in Vno nulla est operatio; pro vt apud Pythagoram legere poteris: si vnum debet progredi in operationem, opus est, vt diuidatur per quaternarium, & vt mysterium aperiam: VNVS morbus uariis nominibus appellatus à partium & materiæ concurrentis varietate. Vnus, inquam, morbus est affectio præter naturam, immediate impediēs functionem & operationem; quod vos intelligere debetis, de triplici functione naturali, vitali, & animali. Hic non potest esse nisi offensio vnius, & offensio quaternarij: Vnius inquam, facultatis, Caloris scilicet naturalis: quippe sub se habere debet organa non impedita, spiritus, & omnem materiam subministratam, quibus officiis fungi possis. Hinc collige, ratione vnius offensionis, quemadmodum fusius habuisti hactenus, summum respectum habendum esse ad calorem naturalem, ad facultatem, & vires, quæ naturâ vnum significant. Et quoniam illa, tanquam quæ dirigūtur ad simplex, & abstractum; sunt præcipuæ, semper ab illis ducere initium tenemini, vt nihil aggredi tentetis nisi hæc a vobis bene considerentur. Cæterùm vt illud VNVM bene examinetur, & ad operationem traducatur, opus est, vt intelligatis semper vt in quinarium expandetur, quinque in se retinere,

alteritatem sub materia, & materiam sine alteritate, & quod postea inde oritur, alteritatem cum materia; idest, morbum oriri vel ex simplici intẽperie, vel cũ materia. Sub vno itaq; medicamẽto habebis medicamẽta quatuor; quæ respiciũt materiã peccantẽ, & vnũ quod respicit alterationẽ. Quòd ad alterantia, DEVM testor, me felicissime vsq; in hodiernũ diem, progressum esse, calida alterando Endiuia, Cichorea, & Sandalis: Frigida Absinthio, Menta & Origano. Humida, Gallis immaturis, radicibus quercus plantagine præ cæteris, papauere, succo Anagallidis, Endiuia, & Beta præ cæteris. Quod ad alia pertinet, Firmamentum vnitatis in quaternarium intensæ, intelligitur, etiam Rheubarbarum, Colocinthis, Agaricus, Helleborus, & Phlebotomia. Vtor fœlicissime Rheubarbaro, & Manna, ad bilem euacuandam; Agarico & & Colocinthide ad pituitam; Helleboro, id est, corticibus Hellebori nigri, quibus vsus est Hippocrates, ad bilem atram euacuandam. Dosis Rheubarbari ʒj cum ℥ ij Mannæ dissolutæ cum Cichoreæ vel Endiuiæ aqua. Agarici trochiscati puluerati ʒj. cum melle rosato solutiuo ad ℥ ij. Sirupi de tribus radicibus & aquæ endiuiæ ℥ ij, addendo, propter torsiones, aquæ cinnamomi ʒj. Corticis Hellebori nigri, gr. xv. cum ʒß pulueris Sennæ præparatæ, & ℥j syrupi de Borragine, seu Lupuli, &c.

Cæterùm vt in vnico hoc medicamento, id, quod intendo, concludatur: Intelligite, omnem causam morbi, vel esse frigidam, vel calidam. Curando morbo frigido vbicumque lo-

corum fuerit, vtor fœlicissime ʒ iij. electuarij Hieræ logodij cum aqua endiuiæ, seu hyssopi, & cum ℥ß mellis rosati simplicis, olei vitrioli guttis vj. In morbis calidis, præsertim ex materia, vtor ʒj. Rheubarbari cum ℥ij Mannæ, in ℥ij aquæ Endiuiæ.

Secundum medicamentum, quod continetur in numero Denario. Illud respicit mulieres, exceptis medicaminibus Vulgaribus, nihil inueuio præstantius ad omnes morbos mulierum Musa Ænea: dosis ʒj, vel ℈ij, cum syrupo Arthemisiæ, vel Triphera magna seu minore. Gal. cum syrupo hyssopi, omnes morbos mulierum his curabat, nisi sint a causa immanifesta, de quibus alibi: &c.

Tertium medicamentum est Requies Nicolai, quo vtor ad prouocandum somnum, ad restituendas vires: dosis ʒj. seu ʒij. cum ʒj. syrupi papaueris & ʒij. aquæ endiuiæ. Hoc medicamẽtum talem facultatem habet, vt possitis cognoscere, quid cum ægro sit agendum, si enim quieuerit, & melius habuerit; bonum. Si verò non quieuerit, & peius habuerit, desperandum.

Quartum medicamen, Vesicatoria sunt; quæ perficiuntur ex cantharidibus, & fermento. Illa, & præsertim in morbis cordialibus, & quæ spectant ad internas facultates corporis humani, in quinque diebus conualescunt.

Expertus sum; si post vesicatoria, æger non melius habuerit, despero, &c.

Quintum medicamentum; Olei oliuarum invnctio, quod ego vsurpo, vt cognoscam euentũ morborum. Sic illud vsurpo. Recipitur oleum,

oliuarum, & eo, lentis fricationibus, totum corpus, excepto capite, vngitur; atque iteratur. Si tribus vicibus modicus ſudor apparuerit in vniuerſo, morbus eſt diuturnus, & curabilis: ſi nullus eſt ſurdor; omnino lethalis eſt morbus. Si ſudor comparuerit, tutus eſt æger.

Sextum eſt, Cornorum, Aſpargi, Rubeæ tinctorum, Ariſtolochiæ rotundæ, ana ℥j. Cornorum, Aſpargi, M.ij. fiat decoctio in ſuff. quant. aquæ Aſparagi: & huius decoctionis cum Saccharo rub. dulcoratæ, præbeantur ægro ℥iiij. Si leuabitur morbus, ſignum eſt bonum: ſin minus, contrà. Qualiſcunque fuerit morbus calidus, ſiue frigidus, & hoc in caſu ſudor: eſt optimum ſignum.

Septimum eſt, Clyſter, ſed non eſt applicandus nec porrigendus nec niſi in morbis ventris inferioris, vt eſt morbus Iliacus, & in ſumma omnes morbi, qui ſentiuntur in ventre inferiori. In hoc vſu, duas ſpecies habeo: vna eſt ſimplex, quæ fit hoc modo. ℞ Foliorum Maluæ, Biſmal, Mercurialis, & Parietariæ, florum Camomil. anapugj. furfuris in petia lini ligati M.ij. fiat decoctio in ſuff. q. Iuſculi carnium. Huius ℞ ℔ j. ſacchari rub. olei Camomillæ, Rutæ, ana ℥j. vitellorum ouorum n. ij. Salis communis ʒj. miſce. Notate, hoc in caſu, reperiri morbos calidos, & frigidos in inferiori ventre: cum ſuperiore decoctione, in morbis calidis, ſemper vſurpate oleum Mandragoræ, Papaueris, Nympheæ; Iuſquiamj, quibus fœliciter ſemper vſus ſum. &c.

Notate, in prouocando ſomno, & aliquibus affe-

affectibus capitis, tam frigidis, quam calidis, sæpe posse vsurpari clysteres alterantes, si tamdiu retinentur. Alia species clysteris est ex eadem decoctione, & ℥j. in morbo frigido, Electuarij hieræ logodij, seu benedictæ. Vel, in morbis calidis, superioris decoctionis vsus esse potest Cassiæ recenter extractæ, vt sit cassiæ recentis ℥ ij. cum syrupis proportionalib. vt Nenuphar, semper sum vsus & lino.

Octauum: sum vsus sternutationibus, & præsertim in morbis capitis, & ventriculi: vt est puluis Italicus ille. Si illius vsu, in morbis capitis, & ventriculi, non perspicio leuamen, incipio desperare.

Nonum apud me habetur pro summo, in morbis intestinorum, & ventriculi, & capitis: sunt species hieræ picræ simplicis Galeni, & loco suppositoriorum, hieræ picræ compositæ, vt, si detur in potu ʒj. specierum hieræ, cum syrupo rosato simplici, & aquis pectoralibus proportionatis: vel si in duobus suppositoriis ʒj. ponatur specierum hyeræ compositæ, cum mellis portione quadam fiunt suppositoria, His fœliciter vsuis sum in multis morbis.

Decimum est: Vsus ligni Guaiaci, in morbis frigidis.

Morbi Hispanici dignotio

Quãdo defluuiũ capillorũ adest. quãdo vlcera sese patefaciunt in locis tenuiorib. in ore, collo, locis obscœnis. Quando maculæ crustosæ in capitæ erumpunt. Quando dolor in membris corporis exterioribus inest; Vt capite, pedibus, digitis. Differt defluuium capillorum in morbo

Hiſpanico, ab Alopecia, quia Alopecia, per areas: Sed in Hiſpanico depilantur ægri alio modo. Cruſtoſæ maculæ in capite, & collo, ſunt inſtar verrucarum: Dolor affligit grauiter, qui fit circa longitudinem oſſium, non circa articulos. Cura iſtius Hiſpanici morbi in Mercurio optimè cum auro præperato, conſtat. Vide librum de præparatione, & vſu medicamentorum chymicorum fol. 34. co vtere, & Vale.

TEXTVS DENARII

FINIS.

ARNALDVS DE SIMPLICIBVS.



NSIPIENTES cùm legerint in libris prudentum medicorum, & senum: qui sciuerunt iam esse secretum medicinæ, cùm vident eos facere bonum intellectum, & facere prudentem, & facere fidelem fortunatum: Valde deridenteos, & derisi valde elongati sunt à secretis medicinæ & non volunt audire, nec credũt, quod ad medicinam spectet, nisi curare dolorem capitis, aut apostema, aut febrem & ipsi deberent curare seipsos de grossitie intellectus, donec possent intelligere, ea quæ nostri Senes in medicina nobis scripserunt. Et propter tales, qui vituperant secretorum Inuentores, Tu audiuisti, quod Hippocrates præcepit Physicis, quos docebat, quod secreta non pãdãt, quia redundat in vituperiũ sapientum, & in infamiam. Quia si homo sit Sapiens, & inuestigans, bene veniet ad ipsa, & participabit nobiscum donum philosophiæ. Item, & si ipse non est dignus eo, nec inuestigans, nec intelligens, quicquid dicatur ei, perditur; imò dedecus est talibus secreta pandere. Radix ergò agendi secreta medicinalia, circa corpus, est, vt attendas circa sanguinem minuendum, aut augendum, & operaberis omne, quod volueris: & tu extrahes ab eo coleram, phleg- Ca. lxxxviij.

ma, & melancholiam; cum quibus etiam medicinis hoc facies tibi est notum : vnde sciunt hoc multi: sed quod ex hoc consequitur, nesciunt, nec percipiunt. Et Secunda Radix secretorum est imaginatio, confidentia, & generaliter, Animæ passiones, quas debes imprimere in mentes hominum: Vnde Damascenus oportet infirmo salutem imprimere, & promittere; nec velis vnquam à spe deponere, etiam si ipse desperet. Quia dicit Galenus primo pronosticorũ, Quod bona confidentia & spes plus valent, quàm medicina; Ille enim plures sanat, de quo plures confidunt: Vnde Hippocrates: In omni ægritudine cõfortari mẽte &c. Vnde ex eis exit magnum secretum, imò maximum, & si tu cogitaueris profunda mente, quanta possit imaginatio, & ratio animæ, dicas actu nihil esse pulchrius, neque verius neque secretius neque securius, quàm illud. Et tu vidisti in lib. experimentorum philosophorum, quod circa animæ passiones, posuerunt pulcherrima & mirabilia. Quæ enim medicina est, plus calefaciens, quàm ira? & magis priuans amorem & generans discordiam, & quæ magis infrigidat quàm timor? & quæ magis confortat, quàm gaudium? Et quæ magis nutrit & cibat, quàm bona spes! Et, quæ magis interficit, quàm desperatio? Cum istis enim Philosophi fecerunt res valde pulchras: & dicerem tibi, quàm super his fundatur vna scientia secretorum, quàm Philosophi Nigromantiam & diuinationem & auguriũ dicũt: & si recoleres de potentia, quam ascripsit Anaxagoras imaginationi, & æstimationi, & illud,

Damascenus.

& illud, quòd Auicennas dedit ei, de posse, tu non debes vereri, quin in his sit magnum secretum, & qui non credit, fleat super se. In his igitur rebus, & supra dictis, est omne secretum medicinæ, Et tu excita te super hoc, & vigila: Quia tu audiuisti Pythagoram ad Philosophos dicere: Tantùm magis dictis attollas mentem, quantò magis Doctor abbreuiat sermonem. Nam de secretis multa docet intelligere, sed semper pauca dicere, vel scribere, &c. Hactenus Arnaldus de secretis medicinæ.

Cur tu, PENOTE, nobis offers ex Arnaldo ista? Paucis admodum respondebo: Plures legerunt hunc Denarium, cuius, editionem conati sũt impedire, dicẽtes, nullos veteres Patres medicos quicquã horum vnquam tractasse, minus credidisse. At ego è contra, Galenum vsum fuisse, in difficili partu, (vt Bayrus refert) verbis, & carachteribus Costaben Lucæ, de physicis ligaturis, translatus à magistro Arnaldo, de Græco in Latinum: Vt in sequentibus dicetur, cum agemus de forti imaginatione, & animæ facultatibus. Nunc sequamur nostrum institutum, scilicet de Notis castigatoriis à quodam Anonymo compositis.



AB ANONYMO NOTÆ EMENDATORIÆ IN DENARIVM MEDICVM.

A 
Nte Hippocratem vnico medicamento progreßi ſunt &c. Vixit ille circiter annũ mundi creati 3443. ſub Rege Artaxerxe, circa reditum Populi Iſraelitici ex captiuitate Babilonica; & tempore belli Peloponenſis. Id ex eo colligitur, quod de inaudita illa peſte, quæ Athenis graſſabatur, ipſe met narrat; quem etiam referunt, accenſis ſyluis, ne Theſſaliam inficeret, cauiſſe. Ante illũ, celebrantur floruiſſe Chyrõ, Æſculapius, Machaõ, Podalyrius: de quib. Xenophõ lib. de venatione. Hi certè inter primos fuêre, quibúſq; antiqui diuinos honores tribuerũt. At illos nõ fuiſſe vnico tãtũ medicamẽto vſos, eoq; incorporeo, author loquitur; ex iis, quæ poſtea hac de re annotabimus, ad literã (H) videre eſt. Interim tamen quæritur Hippocrates, nec immerito, ante ſua tempora fuiſſe artem rudem, & imperfectam, quod veriſſimè apparet ex iis, quæ Herodotus lib. j. de Babyloniis ennarrat. Strabo lib 16. ſicut & de Ægyptiis, nullos ipſis fuiſſe profeſſione medicos, ſed vnicuique obuio ſuos ægrotos obtuliſſe, & hortatos eſſe, vt ſi quando eodem morbo laboraſſent, aut alios laboraſſe nouiſſẽt, quonam tunc fœliciter vſi fuiſſent remedio, aperirent. Tunc ergò

medici

medicierã: Empirici, de quib. Gal. li. 7. Method. medẽd: nondũ methodici nec logici. Hippocrates verò experientiæ methodum addidit, & vtrumque ad rationis ſtateram expendere cœpit.

DVPLEX IGITVR VIA. &c. B

Hæc ſic intellige; cum duplex ſit obiectum, circa quod medicina verſatur, Anima nimirum, & corpus ægrum: ita quoque duplex eſt via, qua vtrique tum reſtituitur, tum conſeruatur valetudo.

Cum vnuſquiſque reperiatur morbus non tantùm in corpore ſolo, ſicut in anima ſola, ſed etiam in vtroque ſimul, ex mutua ſympathia: ideo, vt enumeratio ſit ſufficiens, & perfecta, triplex erit curandi via, Prima merè ſpiritualis, Secunda merè corporalis, & Tertia denique mixta.

In Anima, morbi dicuntur omnes illi praui affectus, repugnantes legi diuinæ, ſeu contrarij perfectæ illi iuſtitiæ & imagini diuinæ, ad quam creati eramus, quæ veriſſima noſtra erat ſanitas: Sunt verò nihil aliud, quãm inordinata charitatis diſpoſitio, tum in exceſſu amoris terreſtrium, tum in defectu amoris DEI, Auaritia, ira, odium, ambitio, inuidia, &c. C

Sunt verò curabiles, aut incurabiles: Illi, quos effuſus ſanguis Domini ſanat: hi verò ſunt deſperatio, induratio, præſumptio, & huiuſmodi alia, de quibus Ierem. 46. v. 11. Fruſtra multiplicabis medicamina, nulla erit tibi ſanitas. *Ierem.*

Quæ oriuntur ex Dæmone meridiano: &c. D

Hinc morbi qui oriuntur, non ſunt propriè in anima ſola, ſed in corpore & anima ſimul, ex compaſſione. Ergo ſcopus authoris non eſt agere de morbis merè ſpiritualibus, de quibus in præcedentibus notis: quamuis etiam Diabolum habeant authorem, quia illorum remedia tantum petuntur ex veræ Philoſophiæ aut potius Theologiæ præceptis. Sed de morbis aut merè mixtis, aut corporalibus, & de his quidem dicit quod a Dæmone Meridiano immittantur, per incantationes, maleficia, operas magicas, quib. Sathan non corpus ſolum, ſed & ſimul animam lædit, dum perturbat, aut phantaſiam aut temperamentum quatuor humorum: quibus male diſpoſitis, ipſa anima, cuius ſunt organa, ſuas functiones perfectè exerere non poteſt.

Hic autem duo ſunt obiter conſideranda. 1. an ſit aliqua Dæmonum potentia. 2. an ſint probanda illa nomina, quæ illis à quibuſdam imponuntur. Magna quidem & timenda Dæmonum potentia: attamen ſine DEI iuſſu aut permiſſione, ne quidem in porcos, ſæuire poſſunt. Inſuper nulla eſt illis conceſſa potentia in voluntatem aut intellectum hominum; ſed tãtum in ſenſus, aut phantaſiam, vt doctè Francis. Pic. Mirãd. cap. 3. lib. 2. de Prænot. diuin. Extra hominem verò magna certè, & ſtupenda operantur, non quidem immediatè; per motum generationis aut alterationis, quem efficere non poſſunt; vt fuſius oſtenditur ad notam (G) ſed tantummodo per motum localem. Sic fulgura, tonitrua, ventos, procellas concitare, & elementa miſcere poſſunt. Sed quæ DEI ſunt

pro-

propria, imitari nequeũt. Ideò nouas non creãt species. Exod. ca. 8. neque vera miracula possunt edere: Sed tantum aut apparenter talia, quæ Thessal. 2. signa mendacia vocantur, dum præstigiis suis oculos fallunt, & tamquam ludiones, visus aciem perstringunt, atque falsas species in phantasia excitant: aut, quæ per causas naturales sunt producta. Ideóque non propriè miracula. Sic morbos Sathan immittit, vt in Sacris passim obuia exẽpla docent; aut iubente, aut permittẽte DEO, corporis crasim & humorũ symmetriam perturbãs, prauos animi affectus gignẽs, lætitiã, tristitiam, timorem, iracundiam & similes affectus, quos postea sequitur corporis complexio.

Secũda huius loci obseruatio est, vt dicã quid de hac Dæmonis meridiani appellatione sentiã: Superstitiosa quorundam curiositas tãta fuit, vt Angelorum tum bonorum tum malorum quẽdã hyerarchicũ ordinẽ finxerint. Imo sũt eò temerarij ausus progressi vt illos numerare in classes diuidere, in certos gradus distĩguere, & deniq; vnicuiq; nomẽ indere nõ sint veriti, ad suæ vanitatis fulcrũ, abutẽtes quibusdã S. Scripturæ locis, & inter alia, Psal. 90. v. 6. Vnde conati sũt elicere, esse duo nomina Dæmonũ, DEBER & KETEV, quorũ alter meridiano tempore, alter nocturno grassetur. At quũ nec Psalmi verba tale quicquã sonẽt, nec sẽsus includat, quũq; etiã nõ tãtũ in meridie, sed sẽper, & quauis hora nobis insidiẽtur maligni spiritus, has Dæmonũ onomathesias, curiosorũ hominũ somnia cẽseo, & ideo valde perniciosas iudicio, quod ad magicũ Dæmonũ cultũ viã sternãt: nihil interim moratus,

quæ ſub falſo Dionyſij Areopagitæ nomine,
aut B. Brigiddæ vulgò feruntur.

G *Nihil produci nihilque agi &c.* Ergone nihil à
Subſtātiis corporeis? Hæc fuit Platonis, ſicut e-
tiam Auicennæ opinio. Quid verò abſtractam,
aut incorpoream potentiam intelligat au-
thor, vix liquet. Hoc tamen conſtat illum & pa-
rum Philoſophicè, & minus Theologicè aut
ſentire, aut ſaltem loqui. Abſtracta vocat for-
mam, aut materiam per ſe abſtractas à ſe inui-
cem, & extra compoſitionem conſideratas; &
ſubſtantias incorporeas, ſeu ſpirituales, Ange-
los tam bonos quàm malos, item & animas
hominum, potentias abſtractas. Vtcunque ſit,
turpiter errat author, dum vnicuique potentiæ
abſtractæ ſubdi corporeas ait, nihilque agunt
produci, quod non oriatur à potentia incorpo-
rea. Quantam ergo ſubſtantiis incorporeis effi-
ciendi vim tribuant Metaphyſici, paucis accipe.
Diſputatur primò: Num res creatæ poſſint ali-
quid verè efficere. Negatiuam tueri videtur
Philo lib. de Cherub. & flammeo gladio: aſſerēs,
proprium eſſe DEI, efficere, Creaturæ verò, pa-
ti. Secundò, quæritur, An ſubſtantiæ corporales
poſſint aliquid operari, an verò ſolæ ſpirituales
ſint actiuæ. Tertiò denique, an Creaturæ corpo-
reæ poſſint aut ſubſtantias, aut quædam acci-
dentia producere; quod etiam de ſpiritualibus
quæritur? Ad primam quæſtionem reſpondent
ſaniores tum Philoſophi, tum Theologi: a Cre-
aturis agentibus effectus produci poſſe natura-
les: quæ aſſertio nititur authoritatibus, expe-
rientia, & rationibus inuictiſſimis. De volunta-
riis

riis actionibus, quæ ſunt fructus veræ fidei, aliter ſentiendum cum Apoſt. dicente: Nos, ex nobis ipſis, non eſſe idoneos ad cogitandum quicquam. 2. Corint. 3

Secundæ verò quæſtionis partem primam videtur Author negare, alteram autem, affirmare, & quidē vniuerſaliter, dum affirmat, Omnes ſubſtantias corporeas ab incorporeis pendere, & oriri: at facilè euincitur, ſubſtantias corporeas æquè, ac ſpirituales, naturalem ſuam actiuitatem, ſeu efficientiam habere. Quinimò, ſi de actionibus tranſeuntibus fit ſermo, longè manifeſtius patet, de corporibus, quod ſint actiua, quàm de ſpiritibus, omnium propè conſenſu, experientia, & teſtibus. Nihil eſſe notius & certius, quàm a Sole lucem, ab igne calorem, & ab aqua frigus produci. Terram germinare herbam, ſpicam, frumentum, proferre. Quamuis enim nec materia, nec quantitas corporum ſit actiua, tamē neutra impedit actiuitatem formæ, quæ eſt principium actionis. Non igitur ſolæ ſubſtantiæ incorporeæ vim efficiendi habent: & c. Ariſtot. 7. Metaphys. vbi concludit, Abſtractas ſubſtantiales, ſeu intelligentias ſeparatas nihil efficere poſſe in hac ſublunarj, intellige, præter motum localem: Quæ ſententia videtur apprimè illis conſona Hebreor. 2. DEVS non ſubiecit mundum Angelis. Interim tamen Angelos vim habere corpora localiter, immediatè mouendi, tam eſt in Philoſophia, & Theologia clarum, vt negari non poſſit. Per hunc autem motum

Forma eſt principiū actionis

localem Angeli poſſunt multa efficere in rebus corporeis: aut dum cœlos mouent, aut dum actiua paſſiuis applicant, & a ſe inuicem remouent. Tamen non minus eſt impium, quàm abſurdum, dicere, Nihil quidquam eſſe, quod à potentiis incorporeis non producatur. Quid aliud, quàm vana, quàm abſurda, & impia?

Ideò fuerunt ante Hippocratem &c.

H

Quid intelligat per ſpiritus & animæ facultatem, an fortem imaginationem, aut incantationes, aut Magicam, aut Cabaliſticam artem, aut quid aliud, vix liquet. Hoc quidem conſtat, non ſic fuiſſe progreſſos antiquos illos Chyronē, Machaonem Podalyrium &c. Quo tempore vixit Hippocrates, diximus ad notam (A) Fuerit tunc ſanè parum culta medicinæ ſcientia, fuerit multis ſalebris obſita, fuerit, quãtum quis volet, informis: at verò tam fuiſſe vanam & mõſtroſã, vt hic depingit, credat aliquis Barbarus, priſcæ Antiquitatis hoſpes. Plutarchus libro de Homero, ſub finem. Ex quibus luce meridiana fit manifeſtius, priſcos illos vſos fuiſſe medicina corporea. Imo legimus, ipſum de ſignis & cauſis morborum diſſerentem, victus modum præſcribentem, manuum operam, medicamina, exercitia, ſomnum, aëris temperiem, vnctiones, frictiones, & lotiones, quæ omnia corporea ſunt, commendantem. &c.

NON

NON MODO MORTVOS excitabant.

Hic libenter (amice Lector) id exclamem, quod Antiqui in atriis adſcribebant pone depictos canes cathena vinctos; Caue, caue canem. Quid enim hîc audio? An Chriſtiani, aut Ethnici, aut Magi alicuius voces? Quinam hi, qui ante Hippocratis tempora, ſola Medicina incorporea, aut Animæ facultate, mortuos excitabãt? Elementis imperabant? An Moſes, Elias, Elizeus, aut quis alius Prophetarum? Excitarunt hi quidem mortuos, imperarunt Elementis: at non artis alicuius dexteritate, non propria induſtria. Agnoſce in his non Magicam impietatem, non Cabaliſticam vanitatem, non phantaſticam aliquam imaginationem, ſicut tamen hic paulò poſt aſſerere audet: Sed DEI brachium, vt ſuo loco euincemus. Quæ hic narrantur, ſeu ab Orpheo, ſeu a quoquam alio Ethnicorum, qui Hippocratem præceſſerunt, aut ſequuti ſunt, præſtita, aut falſa, aut Diabolica fuerunt: ſed falſa penè omnia. Fabulantur quidem Poëtæ, Hyppolitum membratim diſcerptum, fuiſſe ab Æſculapio ex infernis reuocatum, & vitæ reſtitutum: Sed hæc aut hyperbolicè dicta, aut a Pictoribus & Poëtis Picta, & ficta. Teſtatur hoc Plato, qui in Cratylo hanc eſſe fabulam dicit. Philoſtratus refert, ab Apollonio, vmbram Achillis, id eſt potius Dæmonis, excîtam: quod verò etiam hodie Sortilegi quidam præſtant. Apuleius

Medaurensis, omnium Magorum, qui fuêre, primus, quid horum, quæ recensentur præstitit? Fuere, fateor, antiquitus, qui cum Enothea Petroniana gloriabantur:

Quicquid in orbe vides, paret mihi florida Tellus.
Cùm volo, spissatis, arescit languida succis:
Cùm volo, fundit opes, scopulique atque horrida saxa,
Niliacas iaculantur aquas: mihi Pontus inertes
Summittit fluctus, Zephirique tacentia ponunt
Ante meos, sua flabra, pedes: mihi flumina parent,
Hircanæque Tygres, & iussi stare dracones.
Quid leniora loquor? Luna descendit imago,
Carminibus deducta meis, trepidúsque furentes
Flectere Phœbus equos, reuoluto cogitur orbe,
Tantum dicta valent.

Sed quid hæc aliud, quàm fabulosæ pollicitationes æquè, ac mõstrosæ? Aut, si quid habuere prisca illa sæcula, quod inter Ethnicos admirationi esset, mendacia fuere signa. Talia erant quæ Sathan per Magos Ægyptios, tempore Mosis operabatur, aut naturalia prorsus, aut meræ putidæque illusiones. Huiusmodi erant, quæ in Idolis, antris, delubris aut fanis, antiqui admirati sunt. Inter quæ tamen nihil, quod propriè

mira-

miraculi nomen mereatur. Legimus apud Iosephum lib 20. cap. 6. nullo vnquam æuo magis cultam fuisse Magiam, quàm suo: & Plinius nunquam (inquit) tot Magi quàm temporibus Neronis. At nunquam (addit ille) euidentius agnita eius vanitas: tunc nimirum cum Iosephus, & plures alij Christi opera miraculosa attoniti mirabantur: tunc etiam testantur Sathanam per Magos, si quid habebat viriũ, exercuisse, vt suis conatibus, florescentis Christiani nominis, splendori, tenebras offunderet. At tunc, quid præstitum ab eius Satellitibus, quod vel plebeiorum animos perculerit? Iulianus cum Iamblico, & naturalem, & Theurgicam Magiam, quantum potuit, recoluit; vt discipulorum Christi opera imitari posset: quem verò audimus ab illo vitæ restitutum? Quando imperasse ventis? Quando visum restituisse? Nihil quidquam etiam eiusmodi auditur de hodiernis Magis, Iudæis quidem, à quibus tam familiariter teritur Cabala, sicut nec de alijs, quos hodie quidam Principes, summo cum nominis Christiani dedecore, penes se habent? Quid enim tandem post multas fabulosas pollicitationes? Ludicra quædam, nænias pueriles, illusiones, imposturas. Quis ergo credat ab illis, qui ante Hippocratis tempora vixere, tam magna & stupenda edita miracula? Sed hæc omnia aut Dæmonum ope, & auxilio, aut per naturales causas, ac proinde non propterea dicenda miracula: neque a medicina incorporea; seu aliqua animæ facultate promanantia. Verbi gratia, efficere vt aqua in glaciem obrigeret, pluuiæ grandi-

nes, & niues cierentur, aut illuſoria quædam. At mortuos ſuſcitare, nouas ſubſtantias creare, Terram, vſque ad abyſſum, reddere transluci-dam; Ignis naturam immutare, non eſt creaturæ, ſed creatoris; qui Dominus naturæ, nullis obſtringitur naturæ legibus. Etiamſi olim Menecrates multos ſatis fœliciter à morbo Herculeo liberaſſet, nũquam in publicũ prodibat, niſi inſtar alicuius DEI, habitu Iouis, indutus purpura, in capite coronam, in manibus ſceptrum geſtans, & ſuis, quos curauerat, tanquam dijs ſtipatus: Athenæus lib. 7. dipnos: Qui, ſi potuiſſet, Iouem è cœlo deturbaſſet. Quis enim neſcit, quæ fuerit Simonis Magi, Manes Agyrtæ, & ſimilium inſania?

SIC DVÆ FACVLTATES reperta, &c. non cadente imaginatione

K In his tam multa falſa, abſurda, & impia occurrunt, vt lituram, ne quid dicam grauius, mereantur: Sed, ne quis queratur vim à me authori illatam, neque mihi eſſe iuris, vt in eo quicquam reſcindam, ea exhibeo integra. Ne tamen me interim tantæ impietatis conſortem putares; has dare volui animi mei teſtes notas, quæ te inſuper mouebunt, ne ad eoſdem errorum ſcopulos allidas. Primò cum dicit Cabalam eſſe facultatem, quæ ſolo velle, ſolo intuitu, ſola imaginatione operatur: lõge aliter Cornelius Agrippa, cuius hæc ſunt verba. *Eſt nihil aliud hæc Iudæorum Cabala, quàm pernicioſiſſima ſuperſtitio, qua verba, & nomina, & literas ſparſim in Scriptura*

ptura positas, pro arbitrio suo colligunt, diuidunt, transferunt; & alterum ex altero facientes, soluunt membra veritatis, sermones, inductiones, & parabolas, hinc inde, ex proprijs fictionibus, aptare illis volunt DEI *Eloquia; & per imprudenter extortas supputationes, dictionum, syllabarum, literarum, numerorum, tentant violentas perfidiæ suæ inferre probationes. Præterea his nugis inflati, ineffabilia* DEI *Mysteria, & quæ sunt supra Scripturam arcana; sese inuenire, & scire iactant; per quæ etiam prophetare, & virtutes, & miracula sese perficere, sine rubore, magnaque audacia mentiri, non erubescunt. Hactenus Agrippa.*

Insuper hanc Cabalam vniuersam duabus partibus concludunt, quarum primam vocant de Bresillj, quæ nihil differt à Magia naturali. Alteram de Marcaua, quæ Theurgicam refert. Est enim (inquit Agrippa) quasi symbolica quædam Theologia, in qua literæ, numeri figuræ, & nomina, & Elementorum apices, ac lineæ, puncti, & accentus, omnia putantur profundissimarum rerum, & arcanorum magnorum significatiua. Rursus hanc partem subdiuidit in Arithmeticam, & Theomantiam; illa de Angelis & Dæmonibus, eorum virtutibus, & nominibus agit. Hæc diuina mysteria, & nomina scrutatur. Vides ergo paucis, quid sit Cabala. At foret adhuc hæc tolerabilis ignorantia, si sine Iudaicæ impietatis veneno, propinaretur, cum dicit:

L *CABALA OPERATI sunt Prophetæ, & omnes qui ab initio mūdi miracula edidere.&c.*

Quid magis impium, aut blasphemum posset proferre perfidus Iudæus? Sunt hæ desperatæ illius voces, Mosen a Deo, in monte artem Cabalæ accepisse; Sic dictam, quod sine vllis literarum monumentis, sola viua voce, successiuè posteris, instar Pithagoricæ Philosophiæ, traderetur, hac instructum Mosem fabulantur tot miracula, quæ in Sacris celebrantur, præstitisse: virgam in colubrum, fluuios in sanguinem commutasse; tot clades Ægyptiis intulisse: Iosuam cursum Solis stitisse: Eliam mortuum luci suam reddidisse; ignem è cælo euocasse. Sed hoc esse hominum superstitiosè desperãtium, non modò vanum, sed etiam impium figmentum, istaque, & alia omnia admiranda Dei opera, non posse, nisi manifesto cum sacrilegio, arti aut industriæ hominum tribui; fatebitur. Fingunt Rabini Cabalam illam successiue traditam à Mose, ad posteros exinde, inter Iudæos durasse, fuisseque notam non solummodo illis Prophetis, quorum in sacris fit mentio; sed etiam quàm pluribus aliis. Constat insuper nec Mosem, nec Eliam, nec quemquam alium prophetarum, hæc opera edidisse, nisi prius à DEO iussos. Non ergò proprio motu, non arte aliqua, imo non ab iis exquisita, non præuisa, sed nequidem cogitata, quæ per illos DEVS operatus est, Moses, & alij, vt DEO opera hæc omnia tribuant, toties inculcant. Sic dicit Dominus: Hoc iussit: Verbum Domini ad me factum est, &c. Deniq; si tanta sit huius Cabalæ vis, vt impudenter mētiuntur,

tiuntur Iudæi, qui fit, vt tamdiu ab illis & hodierno, & prioribus seculis culta, tamtoque studio trita, nihil tamen operentur, quod vel Pueris possit esse admirationi? Præcipuè cum Iosephus lib. 20. cap. vj. testetur suo æuo fuisse admodum vulgarem, & familiarissimam. At nihil operati sūt, quod inter mirabilia locum habere possit. Concludo ergò, cum eodem Agrippa, totum hoc nihil aliud esse, quàm ludum quendam allegoriarum, quas ociosi homines, in singulis literis, & punctis, & numeris, occupati, quod lĩgua Hebraica facilè patitur, pro suo arbitrio fingunt. Vlterius pergit perditissimum hoc genus Iudæorum, & dum Christi miracula tam illustria, tamque manifesta negare non potest, neque interim illum pro Messia, & Semine promisso agnoscit, illa desperatè tribuit modò Magiæ, modò Cabalæ, tamque horrenda contra Filium æternum vomit, vt eorum memoria nunc mihi silentium imponat.

DOLENDVM est sanè, quod hæc facultas in Christi aduentu extincta sit, &c.

Ex his, quæ hactenus obiter attigimus, facilè est videre, primò hanc Cabalæ superstitiosam vanitatem, in Christi aduentu non esse abolitam, vt abundè tastantur frequentissimi, qui, ab eò tempore, ea de re scripserunt Auctores. Quinimo, ea quæ hodierno tempore non modò à Iudæis, sed etiam a pluribus, nomine tenus Christianis, curiosè teruntur, & nō minus

ſuperciliosè iactantur, arguunt eam, vt tamen par erat, nondum extinctã; ſed è contra, proh dolor, nunquam æuo tam ſtudioſè cultam. Præterea, quum ſatis ſuperque ex ijſdem, quamuis paucis, conſtet vanam, mendacem, ſuperſtitioſam, impiam, & blaſphemam eſſe, tantum abeſt, vt ijs authoris querulis vocibus, aliquis dari debeat locus, quum è contra, ſi ſuo officio ritè fungeretur Magiſtratus, in tales hoſtes Chriſtianiſmj, & Rerum publicarum periculoſiſſimas peſtes animaduertere deberet.

N *Idque euenit propter excæcationem, &c.*

Quaſi verò, ſi id à DEO, tot ſupernis donis, quibus, præ omnibus præcedentibus ſeculis, hoc noſtrum beauit, ſuperadditum foret, vt hæc Theurgica, & Arithmetica Magia, ad Principẽ tenebrarum, tanquam ad ſuum primæuum authorem, ablegaretur; id accideret propter hominum incredulitatem? Imo hæc ſunt fidei præclara trophæa, q̃uòd olim Idolis Gentium ora obſtructa, Dæmonum oracula abolita, horrẽda illa Magia extincta, Serpentes Ægyptij deuorati, Dæmones proſtrati, &c. Quî ergo Magiæ Cabaliſticæ extirpatio tribui poterit hominum infidelitati! quæ potius & Cabalæ, & Lecanomãtiæ, Gaſtromantiæ, Exatopætiomãtiæ, Hydromantiæ, Aëromantiæ Pyromantiæ, Geomantiæ, Oenimantiæ, Oneoromãtiæ: &c. & aliorum ſine numero Magiæ monſtrorum mater, & progenitrix? Si igitur Sacro ſancti nominis Dei prophanatio, ſi eius verbi improba, & impia violatio, ſi horrendus dæmonum cultus. &c.

&c. ſunt fidei effectus, tunc demum verum euincetur, hominum infidelitate abolitam Cabalam, impietatis, ſacrilegij, & blaſphemiæ, multis nominibus ream.

Habemus hac de re ſatis apertum dictum. &c.

Promiſſionum quæ afferuntur, prima adhuc dum hodie impletur, Sic intelligẽda, nimirum ſi quod petimus, cùm fide petamus. Fides autem has conditiones habet: Primò ad DEVM dirigatur, eius mandato nitamur: De his, quæ petuntur, attentè cogitemus, ardenter, cum ſenſu noſtræ miſeriæ, cum humilitate agnoſcentes verum Mediatorem, eique fidentes, cum certa ſpe exauditionis, proueniẽte ex agnitione promiſſionum diuinarũ. Altera verò harum promiſſionum reſpicit miraculorum fidem, quæ nihil aliud eſt, quàm peculiare quoddam donum, ex reuelatione diuina proueniens, quo datur facultas aut edendi aliquod opus extraordinarium, aut prædicendi, quod futurum eſt: de qua 1. Corinth. cap. 13. *Si habeam omnem fidem adeò vt montes transferam*, &c. Diſtinguitur autem hæc fides tum à Iuſtificante, tum ab Hiſtorica, temporaria, & hypocritica. Nam Abraham Iſaac & Iacob, Dauid, Iohannes Baptiſta, & multi alij habuerunt veram fidem, viuamque; hanc tamen non habuerunt: è contrario verò Iudas habuit quidẽ fidem hiſtoricam, temporariam atque etiam miraculorum, cùm nihilhominus Ioh. 6. cap. dicatur Diabolus. Non ergo habuit Iuſtificantem. Hoc etiam euidẽtiſſimè docuit Chriſtus Matth. 7. vbi prædicit ſe iis, qui vltimo illo die gloriabuntur: Domine

Domine, Nos in nomine tuo Dæmonia eiecimus; responsurum: Nunquam noui vos. Neque etiam ad perpetuum facta est hæc promissio; sed solummodo ad tempus; nimirum donec doctrina satis esset confirmata. Neque etiam solis fidelibus hoc miraculorum donum datum est, id enim habuere etiam aliqui inter reprobos.

HINC patet in forti, & non cadente imaginatione: &c.

P Nunquam eiusmodi erroris portentum audiuit prior ætas. Fateor equidem in morbis imaginariis magnam esse imaginationis vim; imaginationis inquam, quæ in ægroto, non quæ in medico. Vnde Paracelsus lib. de causis morb. inuisibilium, de iis, quæ homini eueniunt, ratione fidei, nemo potest seipsum credendo sanare, nisi credendo .j. abusu fidei, ægrotus factus sit. Ratio est manifesta: Quia morbis proportionari debent remedia: si illi naturales, & hæc naturalia: si verò imaginarij, etiã talia requiruntur medicamina. At medicũ propria sua imaginatione alterius morbo, siue is sit naturalis, siue imaginarius mederi posse, quis credat? Hæc vidit Paracelsus, Tractatu de iis, quæ proueniunt ex imaginatione: dicens: *Extra corpus propriũ mulieris imaginatio non habet vllam potestatem:* ideò in illo loco perficitur, vbi dominatur. Si quas tamen habeat vires, eas in his potissimum cernere licet, quorum prægnantium forti imaginatione, varia accidunt infantibus, qui continuo nexu cum matribus coniuncti, tandem cum illis anima-

animalem viuentes vitam, nihil mirum, si etiam cum illis compatiantur, iisdem afficiantur, in tenerrimis corporibus, impressionibus, quas matres firmiter conceperunt, præcipuè cum imaginatio sit a facultate animali, quæ in fœtus formatione dominatur. Hinc diuersæ figuræ, varia monstra, sicut & pleræque affectiones, quæ in infantibus, hinc etiam, quod sæpius referunt parentes. (Est enim commune omnibus animalibus) vt in coitus feruore, viuam illam imaginem, quam fortiter intuentur, spermati imprimant. Quod cùm nosset Iacob, hanc sagaciter rationem inuenit, qua discolores oues haberet. Inde etiam partus ille albus, quem Heliodorus ex Æthyopissa matre natum refert. Non abs re igitur Thomas Morus:

Graues tradunt Sophi,
Quodcunque matres interius
Imaginantur fortiter,
Dum liberis datur opera,
Eius latenter & notas,
Certas & indelebiles,
Modòque inexplicabili,
In semen ipsum congeri.

Sed hinc insuper horrendi illi vermes, qui aliquando fœminis, hinc incubi, & succubi, vnde rumores ventris in pathicis Vetulis, ac si essent grauidæ. Variè etiam corpus suum alterat vehemens imaginatio. Sic, in timore, contrahit spiritus, quos in gaudio propellit. Hæc, & alia pleraque, quæ longius persequi nostri instituti non est, verissima sunt.

Qua ratione hæc fiant, SVARES Metaph. Disp.18.sect.8.art.25. Imaginatio, inquit, mouet corpus, ad cuius motum excitantur humores, & spiritus vitales, quibus alteratur corpus. Quod neutiquam dici potest, nisi de proprio corpore animalis, quod imaginatione operatur. Nam alioquin impossibile est, ab alterius imaginatione, alterari posse alterius corpus: tum quia nulla vnquam allata est experientia, quæ id confirmare, vel tantum apparenter videatur: tum etiam, quia rationi nullatenus consonum esse potest, dictanti actum imaginationi esse immanentem.

Quî nam igitur fieri poterit, vt Medicus, sola sua forti imaginatione, alterius morbis medeatur, tum magna, & stupenda extra se operetur?

Q *ET VT PROGREDIAR, HÆC facultas, quæ Magica dicitur, consistit in Verbis & Characteribus.*

R Ne minima apud te veneni oblati suspitione laborarem, absque vllo antidoto, venenosa hæc verba propinare, nec potui, nec debui. Quænam verò illa? Hæc facultas, quæ Magica dicitur, constat in herbis, verbis, & Characteribus. Primũ agnosco; sequentia, tanquam pestilenti afflatu periculosiora, ipsaque impietate magis impia, detestor, & abominor. Noui equidem, Antiquis sacra fuisse, & Magiæ & Magorum, nomina. Noui etiam adhuc hodie, hunc speciosum titulum, a quibusdam tribui horrendis illis artibus, quibus Sathan DEI gloriam offuscare, homi-

numque

numque ſalutem impedire nititur. *Sicut res*, ita etiam nomen, cuilibet pio, abominationi eſſe debet. Mox enim ac, Diaboli aſtutia, verbum DEI inter homines negligi, deinde paulatim obſcurari, & tandem prorſus extingui cœpit; tunc etiam, totis viribus, ſucceſſu temporis, conatus eſt vetus ille ſerpens hominem a DEO ad creaturas auertere; & pactum cum Diabolo inire, horrendis ſub quibuſdam conditionibus, quibus ſe illi obſtringunt, tum quibus idem viciſſim illis permittit ſe includendum vitro ſpeculis, annulis, & huiuſmodi aliis: itemque ſe inuocatũ, aut quouis modo adiuratum, ceremoniis, verbis, characterib. imprecationib. ſiſtẽdũ, ſub forma aliqua viſibili; aut reſponſurũ voce, ſignis, imaginibus, aut ſolo euentu, quæſtionibus propoſitis, & hoc vt ſuam tyrannidem ſtabiliret, ſuas fallacias hoc fuco obtegeret, & mortalibus perſuaderet, idem poſſe præſtari, paucis quibuſdam verbis, characteribus, quod digito DEI tantum dicta valere, quantum Diuinum brachium; & ſic tandem hic opifex in contemptum veniret. Vnde creditum eſt quibuſdam, tum DEI tum Angelorum nominibus prolatis, barbaris & nihil ſignificantibus, rerum immutari ſubſtantias; vires adaugeri, minui, & adimi, fulmen concitari, ſtellas è Cælo in terrã euelli, venena repelli, ferocia bruta cicurari. Imo noua corpora creari; nubes, vẽtos, pluuias cieri. Hinc, quas toties à Poëtis decantãtur, Homero, Odyſſ. 31. Vlyſsẽ à Minerua ĩncognitũ factũ; poſtea pulcherrimæ formæ reſtitutũ. Alibi verò ab Vlyſſe ſãguinis profluuiũ carmine fuiſſe ĩhibitũ

Pyndarus in Pithiis Ode 3. Chyronē lenibus incantationibus vsum esse: Ammianus Marcellinus lib. 16. histor. Rom. asserens per medicinæ authoritatem, licere vti anilibus incantamētis: Theophrastus existimat verbis Ischiadicos sanari: Cato luxatis mēbris eadē auxiliari. Vnde etiā antiquis erāt, qui ex colore nubiū præmonebāt aduētātiū grādinū, quas auerti carminib., aut denudata muliere mēstruata, credebāt. Omitto alia, quæ nimis frequētia, apud authores, & vtinā hodie nō æquè familiaria. Solent certis temporibus, cum quorundam verborum magica recitatione, herbas colligere, quas sine verbis, aut alio incantationis modo, nullas vires habituras, putant: tales etiam fuisse Pythagoram, & Democritum, testatur Plin. lib. 24. hist. natur. cap. 17. quos insignes Veneficos dicit. Prior enim magicas quasdam herbas vsurpauit Coracesiam Calliciam, Mænaidem, Chorinthiadem, Aproxim, Hippophonadem, Adamātidem. Quorum omnium tam prodigiosos effectus, suis magicis incantationib, adscribebant. Neque ab iis differunt, qui hodie sal, aquam; & herbas consecrantes, ea transferunt in vsus, iis contrarios, quibus à DEO sunt destinata. Quibus addendi sunt illi, qui hodie pocula amatoria præparant, & qui characteres iactitant contra omnes ictus gladij, aut tormenti bellici. Quorum omnium abominatio satis deplorari nequit. Vnde meritò D. Augustinus lib. 10. de Ciuit. DEI cap. 9. & 11 probat, illa, quæ tribui solent figuris, & imaginibus Astronomicis, fieri non propria, sed Dæmonum virtute. Ratio est manifestissi-

nifestissima. Quia nulla dari potest figura, quæ in se habeat vim agendi, vt docet Aristoteles 12. Methap. cap. 3. & Thomas contra Gentil. cap. 76. & lib. 2. cap. 185. Quia figura nihil aliud est, præter quendam situm, & ordinem partium, ex quo quidam modus quantitatis consurgit. Ideóque cum Quantitas per se actiua non sit, neque etiam figura; quæ tantùm modus est, & quantitatis consequens motus, aut actionis principiũ esse potest. Neque enim statua, quâ talis, potest aliam statuam aut qualitatem efficere. Vnde igitur illa vis, & efficacia, quam magi tribuunt verbis, & Characteribus, si neque à DEO, neque à Natura, neque ab Arte: vtique ab illo antiquo Serpente, qui huiusmodi illecebris, miseros mortales in sui cultum pellicere conatur. Meritò igitur tùm iure diuino, tum ciuili: P. 3 l nemo §. l. culpa de malefic &c. Concludimus omnes, qui eiusmodi nefandas artes colunt, supremo supplicio afficiendos. &c.

Hæc sunt, quorum te præmonitum volui, antequam huius scripti lectionem accederes: tum, ne quod incurreres periculum, tum etiam, ne ob næuos, qui prima frõte turpissimi occurrunt, aliquam tibi incurreret nausea, tum deniquè, ne, dum hæc profero integra, vt ab authore profecta, me eiusdem cum illo, hoc nomine impietatis consortem putares. Vtere ergo & fruere hoc Medicinæ compendio, quod diutius latuisse, serius proferri, mecum, quisquis es, quæreris: pro meo in literariã rempub. studio, mihi satis gratiæ, apponi duxero, si tibi, sicut vtile, ita gratum fuisse, intelligam. Fœliciter Vale.

INCIPIT LIBER COSTABEN LVCÆ, DE PHYSICIS LIGATVRIS, translatus per Magistrum Arnaldum de Villa Noua, &c.

Pollicitus sum superius, aliquid horum ex Arnaldo commemorare. Quicquid in rerum natura scibile fuit, Arnaldus sciuit. Ille verò lib. de Physicis ligaturis, respõdens cuidã peteti, sic incipit.

QVÆSIVISTI, Fili charissime, de Incantatione, de Adiuratione, & colli suspensione, si quidem possint prodesse: & si inuenerim in Libris Græcorum, hoc, & qualiter in Libris Indorum ista contineantur, cui quæstioni compendiosè in hac Epistola cogor respondere: omnes inquam antiqui in hoc videntur esse concordati, corporis complexionem animi sequi virtutem, quæ virtus si sit æqualiter temperata: actio quoque correspondens erit perfecta: si autem præcedens fuerit intemperata & subsequens erit imperfecta. Vnde quia virtutes actionis animæ in pueris & senibus & mulieribus imperfectæ esse videntur: Complexio quoque eorum corporum imperfecta esse comprobatur, & hæc imperfectio habitationibus intemperatæ regionis, vt potè caliditatis Æthiopiæ, & frigiditatis Scotiæ. Inde Plato (inquit) mens humana aliquam rem, licet non iuuantem, sibi prodesse certificat sola mentis intentione, corpori illa res iuuat: verbi gratia; Si quis incantationem sibi prodesse confidat, qualiscunque fuerit, eum tamen iuuat. Si tum, vt diximus, complexio corporis virtutem animæ sequatur, necesse est taliter rem se habere. Quod certificatur: quia ex timore, tristitia, lætitia & stupore non solum corpus incolume mutatur, sed etiam in aliis rebus, vtpote vẽtris solutio, siue constipatio, vel nimia defectio. E-

go autem vidi istas sanitatis fuisse causas, & diuturnarum passionum, maxime illarum, quæ corruptiones sunt initij. In sanis autem fuêre infirmitatis causæ hæc eadem. Vnde SOCRATES, Incantationes sunt verba decipientia rationales animas, secundũ timoris impressiones, vel secundum desperationes. Indi autem Medici bene confidunt incantationem siue admiratione adiuuare. Græci verò Medici antiqui intendunt hic animã erroneã imperfectionẽ sui reuocare; quæ reuocata, necesse est, vt corpus reuocetur ab ipsa, cũ corporis cõplexionẽ virtutẽ animæ cõstet sequi. Vnde Galen. supra lib. Hippocrat De humorib. Si quis (inquit) dixerit, humorib. corporis mutatis, inde mutari actiones animæ: vt actio animæ mutata, mutet eosdẽ, non mẽtitur: quod certificatur, quia cũ colerica passio dominatur, sit iracundus, & è conuerso, in sæpè irascentibus: quia cum colera augmentatur, necesse est complexionẽ animæ, & corporis animalẽ moueri. Item Galen. intelligit: & scientia in anima ex complexione colorica augmentari. Contrariantia, & studiositas, ex melancholia: deambulatio & delectatio ex cõplexione sanguinea: phlegma nihil adiuuat animæ virtutem, nisi in ipsa mutatione statorum. Constat ergo, quia si Medicus animæ cõplexionem iuuauerit quoquomodo incantatione, adiuratione, siue colli suspẽsione, corporis quoque complexionem adiuuari. Si autem his conueniens adiungitur medicamen, velocior sequitur sanitas, cum medicina corpus, incantatione anima adiuuetur, quibus coniunctis, necesse est sanitatem vtriusque citius sequi. Item Galenus: sunt homines læti naturaliter, & delitiosi, quicum infirmantur, sanos eos subitò futuros, confirmat

Medicus, & diætam eorum, cum exercitiis ad memoriam reuocat, quorum spes sanitatis eorum causa est. Sunt autem aliquando & contrarij naturâ tristes, vnde tristantur, & angustiantur eorum animi, per cogitationes, quorum cogitationes oportet fallere Medicum, & lætificare intentionem, mutare animos eorum, sed non excedere lætificandi modum, ne magnitudine promissionum negligant se medicandos. Memini quendam nostræ Terræ nobilissimum, murmurasse, se esse ligatum, ne cum mulieribus coiret: quem adiui, falsificando intentionem eius, & hoc magnis ingeniis, sed nunquam potui eum reuocare: propter quod, certificare, & confirmare cœpi, quod ipse prius intendit, adducens sibi librum Cleopatræ, quem fecerat, de Fœminarum informanda speciositate: legensque locum, vbi dixit, Ligatúsque taliter, fel cum viuum accipiat mixtum cum si Zamelon quoque inungens totum corpus, adiuuatur: ipse audiens, confisus libri verbis, sic fecit, citoque euasit, augmentata est concupiscentia coeundi.

Ego in multis antiquorum libris legi, suspensa in collo suffragari cum proprietate, non cum sua natura, quod non denego posse fieri propter confortationem mẽtis, vt dixi. De quibus, cum multa sint, pauca tibi tangere disposui. Aristot. lib. de lapidibus ait, Smaragdum collo, aut digito portans, defenditur à causa Epilepsiæ suspecta. Vnde propter hoc mandamus nobilibus, vt collis filiorum suorum suspendatur Smaragdus; ne hanc infirmitatem incurrant. Item Aristot. eodem lib. Quodlibet hyacintorum genus suspendens collo, siue digito, si intret regionem pestiferam, non læditur; sed potius mentibus hominum honoratur, & a maioribus petitiones eius complentur.

tur. Viginti granorum ordei pondus portans in collo suo, vel digito, non videbit timorosa in somno.

Cor miluinum in collo portans, seu digito, mitigat iram contentionem; cuius color est sicut lotura carnis; sanguinis fluxum cuiuslibet membri stringit, maximè in fœminis. Cynthinus suspensus collo, vel digito portatus, augmentat in somno terribilia, & timorosa, & tristia, & inter homines contentiosa. In pueris suspensus saliuam oris augmentat. Gal. stercora luporum ossa comedẽtium, in ventre Iliaca dolentium, vel in collo patientium suspensa, statim dolorem mitigant.

Aliquando etiam in coxis suspenduntur, & cum filo Laneo ligantur, vnius scilicet Ouis, quæ à Lupis commesta fuerit; quod filum, si non inueniatur, cum corrigia ceruina ligetur. Item Gal. in Vase argenteo posuit, cuius quantitas, sicut faba fuit; & in Coxis suspendit, multumque profuit. Hoc autem dicit in lib. de simplici Medicina.

In lib. verò, qui dicitur Medicorum medicina; quòd si serpentem Tyriæ, suffocati collo cum filo lineo suspenderis, absoluitur à suffocatione sui, & multum valet in apostematibus faucium.

Dioscorides, semen cucumeris agrestis, ad scorpionis morsum valet, in manu tentum, aut collo suspensum. Idem etiam hircus agit antedictum. Radices Asparagi super dẽtes ligatæ, trahunt sine dolore. Item pedes Leporis dextri ano ligati, canes non permittunt latrare. Similiter facit iecur Canis nisi canis gerens sit, cuius iecur fuerit.

Quidam Medici dicunt, pedem Testudinis dextrum, in pede Podagrici dextro suspensum, iuuare, sinistro, sinistrum. Idem in manibus. Item radix pœ-

oniæ in collo, pueris valet epilepticis. Similiter pyrethrum idem facit. Pullus ex toto niger: idem Canis. Nos authem hæc ex libris Antiquorum conscripsimus. Dioscorides ait: dentes Canini in cane rabido, cum hominem momorderit, in frustis eorum ligati, & armo suspensi, defendunt suspendentem à morsibus canis rabidi. Idem, pullis hyrundinis paruis in augmento Lunæ acceptis: & primogenitis, si fuerint ventre fissi, duos lapides inuenies, vnum vnius coloris, & alterum diuersi, & compositi, quos, si ligaueris in corio vituli, antequam Terram tetigerit, & collo, siue armo suspenderis, epilepticus valet, & aliquando sanat. Idem: species est telæ araneæ spissè textæ, & candidæ, quam si armo suspenderis, defendit à quartanis.

Quidam Medici suspendunt collo radices herbæ Acetosæ, & valent. Alij suspendunt radices Arnoglossæ, propter scrophulas, & dissoluuntur.

Auricularis digitus abortiui, si mulieris collo suspendatur, non concipit, dum in collo habuerit. Iusquiamum cum lacte caballino temperatum, & corio ceruino impositum, suspensum collo mulieris, concipere non permittit, dum in collo habuerit. Quidam dicunt, mulierem ranam accipientem, & os eius aperientem, terque ibi expuentem, non concipere in illo anno. Alij oculum Hircocerui, id est, sembut radicem sansuci ligant in horto, & rigant cum Vrina tauri russi, vespere autem extracta radix, ligatur cum eodem oculo, armo, & libidinem augmentat.

Galenus: lapis Corallus multum valet ad passionem stomachi, si super stomachum suspensus fuerit, vel patiens in collo tenuerit. Nos autem hæc ex

lib.

lib antiquor. conscripsimus, et mens tua incantationi, adiurationi, in collo suspensioni non refragetur. Amplius hoc tamen non tentaui: sed nec etiam neganda sunt mihi: Quia si non videremus Magnetem attrahentem, & ex parte repellentem ferrum, non certificauimus neque credimus. Similiter plumbum rumpit Adamantem, quod ferrum facere nequit. Lapis qui vocatur stella, aliâs, stola Arabicè, Nittum verò Latinè, foco non inceditur. Piscis autem quidam marinus se capientis sensum aufert: quæ omnia, si à nobis videantur, non creduntur: sed tētata certificāt. Et forsitan itidem se habent dicta ab antiquis: quorum enim actio ex proprietate est, non rationibus: vnde sic comprehendi potest: rationibus autem tantum comprehenduntur, quæ sensibus subministrantur. Aliquando ergo quædam substantiæ habent rationem incomprehensibilem, propter sui subtilitatem & sub sensibus non subministratam, propter magnam sui altitudinem. Explicit liber COSTABEN *Lucæ, de Physicis Ligaturis, translatus per magistrum Arnaldum de Villa noua de Græco in Latinum.*

FINIS.

Quicquid sanè ago, eò fine ago, vt alijs ad maiora viam pleniorem faciam, eoque animo ab omnibus, qui ista legent, acceptum iri confido. Ne quis existimet, me contradicendi studio, vel ambitiosa cupiditate, ad hæc impulsum, venisse; DEVM immortalem testor, nihil mihi tale in mentem incidisse, nihilque verius, magisque ex animi sententia scriptum; quin ea, quæ de manifestis rerum naturalium causis, deque morborum quorundam, scientifica

curatione, & causarum inuestigatione. Multa de industria prætermisi, ne nimis longus, & tædiosus lectoribus viderer. Tu verò Lector amice hisce fruere, & vale.

BERN. PENOTVS A PORTV Beneuolo Lectori. S. P.

NOn video rationem, qua vniuersalis Medicina decem tantum medicaminibus constare possit. Quanquam Raymundus Lullius, sua magna Medicina, trecentas ægritudines posse sanari, affirmat. Ast numerus ægritudinum longè superat trecentas ægritudines. Icirco vnicuique morbo suum singulare specificum medicamen exhibendum est; aliter à DEO frustra essent creata tot varia rerum simplicia. Ideò in solo Denario Medico hærere nolo. Quamobrem ipse pietate motus, addam specificas receptas, ad quosdam morbos specificos; præsertim Balsamum, quo veteres, in senio subleuando, vsi sunt, descriptione Petri Aponensis Conciliatoris dicti: Tu, humane Lector, nostris lucubrationibus vtere, & Vale.

FORMVLA Balsamum præparandi, conficiendique.

℞. Mirrhæ, Aloës hepat. Spicæ nard. Sangui. drac. Thuris, Mummiæ Opopanac. Bdellij, Carpobal; Ammoniaci, Sarcocollæ, Croci, Masticis, Gummi arabic. Stiracis liquidæ, ana ʒ ij. Lambd. electi, Succi Castorei ana ʒ ij ß. Mu-

sci ℥.ß, Therebinthinæ ad pondus omnium: puluerizanda puluerizentur,& cum terebinthi. probè misceantur:pone totum in Alembicum, & ingeniosè distilla, liquorem distillatum accipe, & in vas vitreum reconde. Et, si ex eo mortuorum corpora inungantur, putrefactionem non patiuntur in eis:& cum volueris temperare extenuata corpora, aqua rosarum temperabis, vngendo à Nuca ad Renes vsque. Si ex eo, ante horam paroxismorum, modicum tepefacto, vngatur Spina Dorsi, relinquendo supra linteum, rigores erraticarum febrium, & quarumlibet simplicium, tollit. Etiam quartanis erraticis subuenit In Syncope quasi vltima peruncta spina : ad Loquelam perditam, sub lingua infirmi, ex eo parum imposito. Et ex eo dare poteris in necessitate, puta, in Matricis suffocatione. Morbo caduco, & plurimis passionibus, pondere trium guttarum cum vino odorifero. Est res confortans animum: subuenit ad omnia quæ oportet, Melancholicis, & iis, qui tristantur in anima, & quorum sunt languidæ vires,& membra hecticorum. Tempera, cum óleo rosato, vnge item membra & spinam apud balneum,& sine balneo. Alias insignes habet vires. Etenim vnctio spinæ dorsi, ad hoc est medicamen singulare, per quod, excelsus DEVS confortat virtutem regitiuam totius proprietatis: & est causa vitæ longitudinis. Vnctio talis est, de elegantioribus iuuamentis, præseruans vitæ subiectum. Quandoquidem Nuca est principium neruorum, & ossium, & generatur à Cerebro. Cófortabis substantiam spiritualem,

Balsami Vires, & proprietates.

Quartanis, syncopi, Loquelæ perdita.

Caduco auxiliatur.

Melancholicis.

Nuca principiū neruorum

Paralisi neruos, & ossa vniuersa, paralisi, saltui cordis, & tremori, & laxitudini subuenit: & est omnium medicamentorum in celeri cordis confortatione. Finis formulæ Balsami.

BERNARDI A PORTV AQVITANI
Specificarum Receptarum
TRACTATVS.

Primo ad Phrenitim, & Delirium.

℞ Moschi gr. xij. Camphor. gr. xx. Aquæ rosar. rubr. cum tinctura Sandal. rub. impregnatæ ℥xv, misce. Capite deraso, madefiant lintea duplicata in hoc liquore, & tepida per omnes capitis futuras applicentur. Vbi resiccata fuerit, iterum imbibe, & per 24. horas applicationem continua, & somno conciliato, cerebroque confirmato, ægrum mirificè conualescentem perspicies; nisi ipsamet cerebri substantia fuerit corrupta. Præstat idem in Mania, sed sæpius & calidius applicatum. Cordi item applicatum, palpitationi valde sanum.

Ad Stultitiam.

Supra experimenta Paracelsi. ℞ Laudani, nostræ descriptionis, gr. iiij. vel vj. olei nucis muscatæ, gutt. iij. cum turunda lintea, alteri narium indito, & mirificè inducet somnum; vbi ægrum altum dormire videris, exime turundam.

Ad Conuulsionem.

℞ Olei succini ℥ß, mucilaginis Bryoniæ. q. s. ad consistētiam linimenti; olei Caryopllhorū gutt. vj. inunge locum affectum, cum radice sua nerui

nerui, & illico dissoluetur. Si prima vnctione non cedat, iterum repete, & statim membrum affectum pelle veruecina recens detracta, inuolue. Atquè non est, quòd de curatione hæsites. &c.

Ad Cynicum Spasmum.

℞ Olei stillat. camomillæ ℥j. therebin. succini ana ℥. ß. invnge radices neruorum contrarij lateris bis, vel ter in die, & cadet affectus.

Ad faciei tubercula, nec non pruritus, maculas, & rugas, præstantissimum.

℞ Aquæ fontis, vel pluuialis purissimæ ℔. v. seminis papaueris albi recentis contusi ℔. ß. fiat emulsio in ollam vitreatam. Tum in vitro magno albumen oui vnius, bene conquassati, pone mercurij sublimati, sæpius loti, ℥j. simul agita, validis lacertis per horam, tunc adde emulsionis papaueratæ coclear vnum, agita per horam, tum duo coclearia, & agita per duas horas, deinceps tria, vel 4. vel 5. & agita, per tres vel 4. horas, sic sensim plus adde, & agita, donec aciculam albam non omnino tingat, per diem atque noctem intus dependentem. Tunc adde Zacchari candidi albissimi, & Borracis albissimi subtilissimi puluerati ana ℥j. agita per duas horas. Niueum faciei candorem, atque optimam temperiem affert, frequenti illitu, vsque quotidiano, nihil damni producit, vt solent aquæ cæteræ mercuriales: vlcera item feruida cacoëtæa Hispanica blandè purgat, exsiccat, sanat, non temerè reuelandum secretum.

Collyrium probatiſſimum ad oculorum inflammationes, tam materiales, quàm ſiccas, nec non ſugillationes & palpebrarum pruritus, & lachrymas, ſingulare remedium.

℞ Tutiæ præp. ℥j.ß. Camphor. ʒj. Aquæ roſarum rub. tantundem, virid. æris, gr. xij. Tritum cum camphora ſimul contere in mortario, æs ſeorſim, omnia verò ad pulueris impalpabilis ſubſtanitam. Tum ℞ buthyri majalis ℥j. quod leuiter bulliat in aqua roſarum: Ab igne remotis, primum tutiam cum camphora, deinde æs viride ſenſim immiſce, agitato optimè, & in vaſe vitreo reconde, fiat vnguentum, & per ſericum tranſcolatum, invnge interiores palpebras, præſertim circa angulos, & breuiſſimè ſanabitur, & lætaberis.

Aliud nobiliſſimum Collyrium.

℞ Aquæ ſtillatitiæ albuminum ouorum, coctione induratorum, ℔.ij. Aquæ Fæniculi, Eufraſiæ, Chelidoniæ, Valerian. ana ℥ij. Roſar. rubr. ℥iij. aquæ ſanguin. humani ℥j. Tutiæ præparatæ benè tritæ, Camphoræ, Aluminis rochæ ana ℥ß. Coralli rub. Margaritarum ana. ʒj. miſce, circula per menſem, ſæpe agitando, & tum inſtilla de eo oculis hebetibus, inflammatis, ſuffuſis, turbatis, cuticula obductis, ordeolo infectis, & certò continuatum curabit eos.

Ad Surditatem.

Nihil æque conducere, etiam poſt centum remediorum vſum, quàm vt patiens, optimè prius

prius corpore mundato, & deinde capite purgato, ſulphureis balneis caput madefaciat, hoc modo. Ex ſpongiis magnis conſutis, veluti cupham, ferat in capite, ad ſupercilia, & infra aures deſcendentem. Sedeat ſub canali balneorum & verſo epiſtomio, aquam accipiat, quæ abſorpta a ſpongiis, caput continuo calore ſuo fouebit. Atque omnes capitis ſuturas, auriumque commiſſuras deducens, atque aperiens, vapores tollet, vel materiam impactam neruis, viiſque auditoriis, reſoluet per halitum, aut adeò maturabit, vt breui ſit abitura. Bis in die ita ſedere eum conuenit, ad horas duas, ac deinceps ſtatim ſudare in lecto, dietamque adhibere tenuem, ex ſuccis, & jure carnium, vinoque, niſi oligophoro, planè abſtinendum eſt.

Ad Apoſtema pleureticum, vel quodcunque aliud citò rumpendum, ſingulare.

℞ Acetoſæ, ſub cineribus coctæ M. ij. Farinæ fabarum ℥iij. Ficuum pinguium n. iiij. folior. rutæ ʒij. præcipitati dulcificati per ablutiones ℈ij. fiat emplaſtrum.

Ad Herpetes & Formicas, probatiſſimum.

℞ Aluminis rupei, ſulphuris, Boli armeni ſubtiliſſimè triti ana ℥ij. Salis communis p. j. Chelidoniæ integræ minutim inciſæ M. iij. vini albi potentis, vt ſuper emineat, ad digitos 4. vel. 5. ponatur in ollam anguſti oris, & vbi efferbuerit in aqua calida, cum vapore aſcendente, locum affectum irrora, ad duas horas, bis in die, & reſiccato vapore, inunge oleo ouorum benè, vbi cutis emollita eſt, curatur herpes.

Ad sistendam Lienteriam, Dysenteriam, vel Diarrhæam.

Fiat panis, cum subtilissima, & purissima hordei farina, cùm vitellis ouorum mixta, coquatur in aqua, vt mulieres parare solent; eum panem serua ad Autumnum, vel annum sequẽtem, & vbi fluxum sistere volueris, micas eius lacti saccharato immisce, ad pulticulæ consistentiam, de quo æger ieiunus capiat coclearia 4.5. vel 6. mirificè conducit & nutrit. Laudanum nostrum, intestinorum cruciatus omnes compescit, vt nuper experti sumus. Sulphur Auri, vel eius tinctura, cum syrupo Cydoniorum, præcedente purgatione, cæteris remediis præstare, compertum habemus.

Ad Ani procidentiam & Tenesmum.

℞ Florum Camomillæ. M. j. vini maluatici ℔ j.ß. macerentur per horam vnam, & alteram, super carbones, lento igne, foueatur anus linteis in ea madefactis, tam calidè vt ferre poterit, & reponatur postea cum digito in locum suum: tum spongiam madefacito in eodem vino calefacto, & expresso liquore, super spongiam calidam sedeat æger, atque ipsam sedendo comprimat. Hoc modo etiam Tenesmus curatur.

Ad dolorem Ischiaticum.

Infinita contra hunc dolorem olea, emplastra atque vnguenta proponuntur à Medicis, labore longè maiore, atque tædio, quàm successu bono.

His

His omnibus præſtat medulla equina, ex equo non natura, nec tædio, vel tabido morbo, ſed ex vulnere recenti mortuo. Nam ſi locus affectus illinatur ea, tamdiu vt eò penetrare poſſit, (quod fit longa ad ignem, vel ſolem inunctione) paucis admodum diebus diſcedet, atque horis lenietur dolor. Quinetiam ad nodos, atque dolores perioſtij, in Lue Venerea infectis, mirè confert. quò purior accipitur medulla, eò melior. Præſtantius habemus remedium mediante oleo Arſenici.

Ad Podagram.

In manicam Hippocrateam conijce limacum integrarum M. j. tum ſuper has inijce ſalis communis Mj. & ſuper ſalem, ſeminis ebuli ſubtiliſs. triti Mj. & ſic viciſſim limaces, ſalem, ſemen, donec omnium ſigillatim 4. vel 5. ſtrata confeciſti: Manica dependeat in cella vinaria humida, & poſt paucos dies diſtillabit ex ea liquor lubricus, & pinguis, quem ſerua in vaſe plumbeo, & probè clauſo, ſoli exponito, per quatriduum, locum affectum eò illine, & nihil præclarius hactenus repertum dixeris.

Non celabo aquam noſtram contra podagricorum miſeros cruciatus: Et in noſtro Antidotario chemico aliam longè præſtantiorem.

℞ Vitrioli Rom. in furno exſiccati. q. v. contere, & cũ aqua maris, vel ſalſa, pone ad putrefaciendũ in fimo equino, quò diutius, eò melius. Filtra, & cuſtodi. Iſte liquor applicatus cũ linteis eo madefactis, cõpeſcit dolores. Si diſtillaueris

per alembicum insipida egreditur. At varios v-
sus habet, quos recensere longum foret. Alij sol-
uunt salem vrina puerorum. De his alibi.

AQVA MIRABILIS, AD LA- pidem Renum, & Calculum expel- lendum.

℞ RADICVM Bismaluæ in vino albo mun-
datarum ℥vj. Radicum Bardanæ & graminis, a-
na ℥iiij. radicum asari, petroselini, valerianæ,
fæniculi cõtusorũ, ana ℥ij. Herbarum capilli ve-
neris, Saxifragiæ, pimpin virgæ aureæ, Bethoni-
cæ ana M. iiij. Seminum Basilici, bardanæ, car-
dui bened. Sileris mont. nucleor. mespill. &
persicorum ana ℥j. milij solis ℥ij. lapidis lincij,
Iudaici ana ℥j. sanguinis hirci præparati. ℥ij. ß.
croci ʒij. Therebithinæ venetæ, & contundan-
tur, misceantur cum therebintina in vini al-
bi ℔ iiij. diluta omnia, & simul mixta, maneant
24. horas: distillentur in B. M Huius aquæ bi-
bat laborans ℥ij. tribus horis ante cibum, cui
superbibat vini albi ℥iiij. liberabitur.

SANGVINIS CVNICVLI MA- rini præparatio.

℞ Sanguinis hirci marini masculi, ℥ij. pulu.
florum virgæ aureæ ℥j. ireos ℥ß. Bethonicæ,
storacis calamitæ, ana ʒij. musci gr. xij. gũmi
draganti in aqua rosarum dissoluti, pulueris Be-
thonicæ, cardui bened. virgæ aureæ, Zacchari

pulu.

pulu. q.s. formentur trochisci; dissolue cum supra dicta aqua ℥ß. superbibat, & lauda DEVM.

Ad Hemicraneam inueteratam.

℞ Balsami Aloëtici ʒ iij. magisterij perlarum gr. xij. Salis Absynthij ℈j. cum syrupo de Bethonica q.s. fiat massa in vitro accuratè clauso, vnica pilula, alternis auroris, per mensem, deuorata; ventriculum, & præcordia optimè imprimis purgat, & impactissimam materiam ex cerebro extrahit.

Ad Pulmonum vlcera.

℞ Florum sulphuris, ad albedinem sublimatorum. q.v. cum oleo Zacchari (paucis cognito) misceatur oleum Zacchari cum aquis pectoralibus optimè distillatis mixtim. Mirificas obtinet virtutes; causas Tussis persanat.

Ad Uteri suffocationem.

℞ Extracti croci ℈j. castorei ℈ij. olei Angelicæ guttas vj. misce, dosis ℈j. aut ij. Ingruente paroxismo, illico persanat. Quòd si singulis mensibus, appetentibus menstruis, pari mensura vtantur, non reuertetur morbus.

Ad partum facilem reddendum.

Ægra Borracis ℈j. cum vino maluatico calido; cui addatur olei sauinæ ℈ß. bibat, & dolore appropinquante, cœpam crudam fortiter mordeat.

Ad desperatissimas Partium conuulsiones.

℞ Hioscyami herbæ, in pultem suaptè natu-

ra, resolutæ ℥ iiij. Olei Camomillæ stillatitij ℥ iij. Olei therebintinæ ℥ j. ß. misce, fiat linimentum, quo partes affectæ, & neruorum, eò decurrentium origines illinendæ sunt, mane & vesperj, linteaque eo imbuta, continuo in locis affectis relinquenda.

Ad Vulnus breui spatio sanandum.

℞ Mellis despumatj & bene purificatj ℔. j. succi parietariæ. q. s. incorpora, & fac vnguentum, quo inunge, & statim liga, breuj sanabitur.

Secretum ad Hydropem.

Distilla oleum salis, per retortam, vti scis; hoc oleo impasta flores sulphuris, vt fiat instar pultis; hoc distilla per retortã, & egredietur instar lactis, hoc est summum secretum in hydrope. Præstat etiam contra venena, & pulmonum vlcera, virgæ quoque, & omnes cutis impuritates remouet.

Præparatio salis Petræ, in Pleurisi.

℞ Salis petræ ℔. ß. Tartari crudi ℔. j distilla septies per alâbicũ. dosis ʒ. ß. vsq; ad ʒ j in aqua fontis, mane, meridie, & vesperi, ac media nocte. Agit per vrinam, & non per sedes: quia Apostemata non egent per sedes, sed per vrinam expelli.

Aqua mercurialis, medicinæ inseruiens, magnarum virium, in vetustissimo codice reperta; ne pereat post obitum nostrum, hic depingere voluj.

Mer-

℞ Mercurij purificati ℥ iiij. Lapidis arenosi, ℔ ij. Primò fundatur Iupiter; ipso fuso, proijciatur in Mercurium mundatum: fiat Amalgama, bene commiscendo; postea diligenter, aceto distillato cum aqua feruente, laua, exsicca. Deinde colloca hoc Amalgama in retortam, intra cineres, in furnello, in quo possis ignem administrare, & sit vas benè lutatum luto sapientiæ, & cum videris liquorem distillare in forma aquæ, jgnem indesinenter continua, donec tota aqua distillauerit, & citò cùm ex illa massa habueris ℥ iiij. diligenter custodi. Et dicitur Aqua Alkali secreta. Virtutes istius aquæ sunt, quæ sequuntur.

Hæc aqua eradicat quascunque febres, si gutta vna tantum sumatur cum aqua Buglossæ, vel alterius huiusmodi. Nam si misceantur, in uicem capiendo, vnam guttam, & Cyatum vnum aquæ buglossæ, vel alterius, statim facit descēdere omnem terrestreitatem, in fundum vasis, quam caute separa, per inclinationem. Hanc aquam tribus horis exhibe ante pastum, ægroto; & ne dubites; liberabitur, & optimè cum syrupo conueniet Anhelosis; summopere prodest impeditis lingua, qui loqui nequeunt, & omnino, propter aliquam infirmitatē, loquelam perdiderunt. Item si mulier habuerit fœtum mortuum, gutta sumatur; illicò ciet fœtū. Item si vis scire ægritudinem alicuius morbi, proijce tantum vnā guttam huius aquæ, in vrinā illius, qui ægrotat; statim fiet Elementorū separatio, & sic cognosces Elementum prædominās, in quo est corruptio, sicque ægritudinis causam agnosces,

& adhibe remedium. Item si projeceris guttam vnam in mensuram vini, efficietur acetum acerrimum, in vno die. Item supra corpora mineralia, quæ omnino occulta sunt, manifestat. Item si vis scire, vtrum si aliqua aqua transit per mineras, ℞ de prædicta aqua, cuius virtutem cognoscere cupis; & guttam nostræ aquæ proijce, fiet separatio, & pars mineralis decidet in fundum, quam exsicca; funde cum borrace; agnosces cuius sit mineræ. Aquam illam noli proijcere, valet ad varias hominum ægritudines. Benedictus DEVS, de quotidie, in æuum: Amen.

Alia aqua Vlcera Tibiarum, Lupum, Cancrum, aliaque vitia sanans.

℞ Aluminis rochæ, Gallarum non perforatarum, æquales partes; puluerentur, & misceantur. Hos pulueres pone in vas fictile aqua plenum, & cooperi, ne quid respiret, & sic relinque supra cineres calidos, prope ignem, horis 24 vel donec decrescat ad medias, sine ebullitione. Ista aqua laua vlcera, maligna etiam vulnera, & hoc ter, vel quater in die, apponendo lintea quadruplicata, in prædicta aqua madefacta: videbis effectum.

Aqua altera magnarum virium.

℞ Vitriolj albi ℔ ß Boli armeni ℥. v. Camphoræ ℥. j. ß. fiat puluis, de quo accipe ℥. j. ß. quem proijce in aquam ferè bullientem, & relinque parum ferueſcere, & amoue ab igne; subsident fæces. Ista aqua tepida foue quæuis vlcera, sine alio additamento: fluxiones omnes tollit, mundificat, confortat partem affectam, desiccat

ſiccat tam vlcera vetera quàm vulnera. Dentes pariter confirmat,& gingiuas à putredine præſeruat: & oculorum lachrymas reſtringit. Proprium eius eſt ignem ſacrum tollere, & ad ſcabioſas manus,& ſerpigines opitulatur.

Alia Aqua mirabilis ad morbos Hepatis, Lienis, Renum,omniumque obſtructionum.

℞ Vitrioli Hungarici ad rubedinem calcinati. ℔ ij. Silicum fluuialium optimè calcinatorum ℔.iij. Tartari ad albedinem calcinati ℔.ß. in tenuiſſimum puluerem omnia contuſa, marmorique inſperſa collocetur in cellario humido, per dies 14. vel plures;reſoluta per alembicum diſtilla ter, ſingulis vicibus repulueriſatæ materiæ,affuſo humore, ad extracti modum; poſtea retortæ impone cum ſuo phlegmate, & lento igni diſtilla: phlegma primùm dulce,poſtea acetoſum ſpiritum, aucto gradatim igne, per horas 12. collige; ex capite mortuo calcinato,ſalem extrahe, & cum eo ſpiritum acetoſum circula,maioris efficaciæ cauſa.Doſis coclear vnum,alternis auroris. Tam breui curat hydropicos, menſes ſuppreſſos, omniumque viſcerum obſtructiones, vt meritò inter arcana non vltimum locum mereatur.

Ad podagræ dolores intenſiſſimos citò tollendos.

℞ Olei ex ſeminibus ebuli, per expreſſionem facti ℥.iiij.Mumiæ ℥ij. camphoræ ℥j. in marmore ſubacta,in linimenti conſiſtentiam,quo pars affecta ſi illita fuerit,confeſtim dolore liberabitur,atque ſomnum ægro obrepet.

Ad Renum obſtructiones, & calculi tum Renum, tum Veſicæ expulſionem.

℞ Olei Vitrioli ʒ ij. olei Tartari ʒ ß. misce; fiet materia lactea; postea in salem concrescet. Huius Salis ℞ ʒ ß. Iulapij rosacei ℥ ij. Aquæ Cinnamonj ℥ ß. misce. Efficacissimum inuenies detersiuum ad renes expurgandos percommodum. Dedi Brunæ in Morauia cuidam capitaneo patienti Lapidem; & intra horam ejecit magnitudinæ fabæ:

AD NODOS, ATQVE TOPHOS, *& scrophulas, singulare remedium.*

℞ Brioniæ nigræ radicem; excauatam cum mercurio sublimato imple, & colloca in humido cellario, ad dies 10. Tùm mercurium resolutum exime, & radicem in partes diuide: his fortiter expressis, succum collige, quo Nodus, & tumor inugantur tepidè: deinde succo exarescente, locum affectum illine oleis sequentibus.

℞ Olei camomillæ stillatitij ʒ ij. Ceræ ℥ ß. Adipis Struthiocameli ℥ ij. misce, liquefactis Tophi, Chœrades, Strumæque illinātur; & sine dubio (nisi prius computruerit materia) dissoluentur.

CATHOLICVM CATHARTICVM *Minerale.*

Minerale stibium tenuissimè pulueriza, tum supra marmor permisceto oximelite simplicj, vt omnino amittat formam metalllicā: quo peracto, superfundatur acetum, maneat vas in loco calido, per mensem: deinde leui calore, distilla acetum, & remanebit in fundo materia instar pultis, quod, valido ignj, distillandum est; & ascendet oleum rubrū, zaccharo dulcius, quo vtere in purgandis corporibus. Dosis secundùm

vires. Nam corpora non ſunt æqualia, ideò doſis certa dari non poteſt. Attamen dedi à ʒ ß. ad ʒj. cum ſyrupo aliquo. Euacuat, & attrahit à remotis partibus, citra noxam.

Ad Epilepſiam.

℞ Vitrioli exſiccati ℔ j. ſtibij ℔. ß. puluerẽtur ſubtiliſſimè, fiat oleũ, inſtar olei vitrioli, & hoc à ſole ſæpius diſtilla. Rectificatur etiam ſupra caluariam contuſam alicuius ſuſpenſi, aliquoties: Doſis a ʒ. ß. ad ʒj. cum ſyrupo aliquo, vt Conſerua Anthos, Pæoniæ, Maioranæ, Bethonicæ. Ne flocci facias.

Emplaſtrum multis experimentis clarum, & fœdis ac diuturnis vlceribus, fiſtulis, ſegregans corruptum ab incorrupto.

℞ Picis liquidæ vulgaris ℔ ij. butyri non ſaliti ℔ j. Mellis optimi ℥ vj. Therebinthinæ ℥ iij. Axungiæ ouilljs ℥ iiij. Reſinæ ℥ ijß. omnia lento igni liqueſcant, & paulatim inſpergantur ſequentes pulueres. ℞ Aloës ℥ iij Sulphuris ℥ ij. ß Thuris ℥ ij. Maſticis ℥ j. ß. & cum omnia fuerint colliquata, & cum prioribus fuſa, adde ſalis triti communis. M. j. Aluminis ℥ ij. ß. Vitrioli albi ℥ ij. Calcis viuæ ℥ j. ß. Hæc pulueriſata miſceantur quàm optimè, & cum prioribus pulueribus redigantur in formam emplaſtri. Quod ſi ſiccius euadit, addita pice liquida, fiat liquidius, de quo fiat ſparadrapus, & ſupra vlcera, qualia fuerint, applicetur, & immoretur 24 horas, & detergatur, & ex alia parte ſuper imponatur. Expertum ſæpius.

Aliud Emplaſtrum dolores acerbiſſimos ſedans, & Tumores diſcutiens.

℞ Picis nigræ, Calophoniæ, Reſinæ pini, ceræ ana ℥iij. Bdellij, Opopanacis, ana ℥ij. opij ℥ij. Croci ℥ij. Stiracis calamitæ, camphoræ ana ʒij. ſpermatis ceti ℥vj. ſanguinis Draconis, Mercurij præcipi. ana ℥j. ß: Croci martis ℥ß. Gũmi Elemi, & Iuſquiami ana ℥j. ß. diſſoluantur gummata in aceto, poſtea adde picis calophon. reſinæ therebinti, liquentur; deinde adde maſticis, Mirrhæ, fiat Emplaſtrum, & in omnibus doloribus & tumoribus vtere. Varia alia Emplaſtra penes me ſunt. At iſta duo præſtantiora ſunt.

Balſamus artificialis ad omnes Tumores & Vulnera quæuis, & etiam Bombardarum ictus.

℞ Olei oliuarum, lini ana ℥iiij. viridis æris ʒj. vitrioli Rom. ʒß. Pulueres ponantur in Oleum, ſupra cineres calidos, & cum ſoluti fuerint, exime ab igne, cui adde ℔j. therebintinæ claræ, & optimè permitte fermentari, in loco calido, 8. dies: Et, cum eo vti volueris, calidè impone, & vulnus liga. Item ad Bombardarum vſum, inunge turundam, & eo vulnus imple, & liga. Effectum animaduertes.

Camphoræ mirabilis præparatio ad Cancrum vlceratum, vlceraque corroſiua, & ad Antracem, multas alias inſignes virtutes habens.

Præparatio Camphoræ.

℞ Camphoræ, ceræ albæ, ceruſæ, olei lilior. ana:

ana: terenda terantur, & pone oleum in cacabum, & cum efferbuerit, pone Ceram albam, qua liquata, pone Camphoram tritam, paulatim mouendo, deinde cerusam, parum & parum inijciendo, incorporando, mouendo vno circuitu omnia simul: & cùm refrixerit, pone supra materiam, aquæ vitæ ter rectificatæ ℔j. misce inseparabiliter in cucurbita vitrea, donec acquiret summam albedinem, absque igne. Tunc hoc vnguentum, pone in Alembicum vitreum, & luta optime, & sepeli in fimum equinum, per 8. dies, distilla per cineres, lento igne, & aquam iterum reaffunde supra fœces: hancque operationem repetè sæpius ad minus septies. Nota, quòd camphora sublimabitur, sed penna deprimere oportet, & cum cæteris miscere. Frange Cucurbitam, & materiam accipe, quam in fundo reperies; in formam metallicam tere, & incorpora, & ad vsum reserua, in pixide obturata. Hæ sunt eius vires pro Cancro.

AD CANCRVM.

℞ Plantaginis vtriusque Mj. fac decoctum, quo laua Vulnus, siue Cancrum, deinde exsicca linteo mundo, postea ℞ prædictum vnguentum, & extende supra pannum, & applica supra vulnus, vel cancrum, vt vnguentum contegat vniuersum cancrum:

Ad Dysenteriam, & diarrhæam desperatam, singularere medium:

℞ Corticis Guaiaci contriti ℥ij. bulliant in sufficienti. q. aquæ, ad medias: cui impone Rosa-

rum rubr. Balaustior. Plantaginis ana ℥ ij. bulliant per horam, & ab igne extrahe, & per linteum cola, cui adde Rheubarbari puluerati ʒij. catholici ʒiij: fiat haustus.

Ad sitim Febricitantium.

℞ Salis petræ præp. cum sulphure à ℥ß. ad ʒj. solue in ptisana, sorbeat æger haustum optimum, sudores prouocabit, & liberabitur tam a siti, quàm a febre.

ADVERSVS MORBVM HISPAnicum.

Facto præcipitato, more communi, accipiatur, & bulliat in aqua rosarum, deinde inter duas testas calcinetur, & paratũ erit. Huius præcipitati accipe gr. xij. & pomo cocto excipiatur, pillulæque formentur, & accipiat æger, & statim eos abluat cum aceto, & aqua rosarum, tepidè. Non enim pillula accipienda est die, post diem, at de quinto, in quintum diem. Propterea ne desistat sudare, accipiat Theriacam illis diebus, quib. non accipit pillulas, & caueat æger ab aëre, & vento frigido, aliter esset in periculo: & omnia quæ bibit, & comedit, sint tepida.

De Peste, vnicum remedium, non spernendum.

℞ Aquæ vitæ ter rectificatæ, mensuram vnam, Theriacæ optimæ ℥vj. Myrrhæ electæ ℥ij. Radic. Petasites ℥iij. spermatis Cæti, Terræ sigillatæ ana ℥j. Hyrundinariæ ℥j. dictamn. albi, Pimpin. Valerianæ hortensis, ana ʒij. Camphoræ ʒj. omnia hæc incisa, & contusa misceantur. Postea abluatur Tartarum vini albi; optimè exsiccetur, & teratur, retortæque vitreæ lutatæ imponatur, cum magno recipiente; prouocetur distillatio igne

igne aperto, sed principio gradatim. Nam maximo impetu fumi albi in recipientem veniunt: ideo a fractura cauendum est. Facta distillatione, reperies aquam & oleum nigrum, quod ab aqua separandum est. Aquam impone cucurbitæ, & distilla in cineribus bis vel ter. Huius sume partem vnam, & compositionis superius reseruatæ partes duas. Si prædictæ compositionis habes ℔iiij. aquæ Tartareæ ℔ij. misce, & relinquatur liquor supra fæces.

Vsus eius est, vt singulis 14. diebus semel sumpserit ℥j. in vino odorifero, & per duas horas sudet, & a cibo & potu abstineat aliquot horas. Præseruat optimè. Quod si quis infectus est, illico intra 12. horas sumat huius aquæ coclear vnum, in tribus coclearib. vini, sudet horis tribus, & horis sex abstineat à cibo & potu. Si opus est, iteretur. Quòd si, nimio calore Hepatis, prunella gigneretur; tum,

℞ Cancror. fluuialium viuorum, Sedi maioris. i. Barbæ Iouis Mj. Simul tusis & mixtis, cum aliquot coclearibus aceti rosati, per linteum exprimentur: in die aliquoties coclear exhibe: ab extra fronti & temporibus calidè appone, linteis calefactis. Buboni, si adest, applica Emplastrum factum ex Opopanace mixto cum oleo laterino: hoc citò maturat & venenum extrahit.

Habes propemodum aquam diuinam qua obstructiones omnes soluuntur, & mira, quàm par sit scribere, præstat. DEVM adora, & illi subditus esto.

FINIS Tractatus ſpecificarum Receptarum. De his plura in noſtro Antidotario Chemico; ſi DEVS *concesserit longa frui vita. Interim his vtere, & feliciter Vale.*

Tuus à Portu Aquitanus.

Dabo in ſequentibus, DEO propitio, Mercurium vitæ noſtrum, longè præſtantiorem eo, quem Paracelſus in ſuis Archidoxis deſcripſit.



DE ALCHEMIA TRACTATVS SECVNDVS.

EPISTOLA DEDICATORIA.

D. IOACHIMO TANCHIO PHILOSOPHIÆ, ET MEDICINÆ Doctori, ac in Academia Lipsiensi Professori Clarissimo,

BERNARDVS PENOTVS A PORTV S. MARIÆ, AQVITANVS.

S. P. D.



ENERANDA antiquitas (TANCHI Doctissime) Inuentores Artium, & Disciplinarum authores tanti fecit, vt alios Apotheosi donarit; alijs statuas, honoris ergò, erexerit. Nec istud prorsus absque ratione, & meritò. Quum enim conditio ea, in qua creatus fuerat Adam, primus noster parens, ipsius peccato, ex fœlicissima, miserrima esset reddita: ipsique, & omnibus eius posteris, ore diuino, esset in-

tonatum : In sudore vultus tui panem tuum comedes : *necessaria fuit artium & disciplinarum inuentio, quibus isti morbo, & malo remedium afferretur. Ad quod Patrum, qui ante Diluuium vixerunt, longæuitas referenda est; nimirùm, vt artes & inuenirentur, & discerentur. Verùm enimuero, si artium Inuentoribus iure magni sunt attributi honores; eosdem ijs, qui artes & disciplinas, veluti ex sepulchris erutas, luci restituerunt, ecquis iure deneget? Magnum fuit reperisse; sepultas postliminio restituisse auctiores reddidisse, maximum. De reliquis, taceo; sit noster hic sermo de Spagyrica. Ante hæc tempora veluti demortuam latuisse, quis nescit Spagyricam artem tam vtilem, tam diuinam, tam necessariam? Sed iam pristino nitori, etiam cum augmento, restitutam, quis, nisi cæcus, non videt? Per quos vero? Ego (TANCHI Doctißime) si te inter præcipuos nominem, quis ibit inficias? Iure igitur & tibi assurgunt Docti, & ego tibi duplici debito sum adstrictus: Primùm ob hoc ipsum; deinde, quod meo nomini inscribere, & dicare dignatus sis librum de Lapide Philosophorum. Vnde prorsus ingratus sim, nisi in grati animi signum, aliquam laborum meorum partem tibi offeram. Accipe ergo*

ARIS-

ARISLAI vetustissimi Philosophi Dialogum de vera Lapidis materia, eiusque præparatione, longè Auro, & Argento communi præstantiorem. Quandoquidem Philosophorum aurum viuum est, cætera corpora mortua viuificans. Lapidis verò nostri materia vnica res est, omnium aquarum fortium vim in se continens; (vt dilucidius in præfatione Apologetica patebit) habens in se ex se, & per se, naturâ quicquid ei est necessarium; vt in Dialogo, & sequentibus videre licebit. Quem Dialogum tibi voueo, dedico, adscribo, vt sit Antidorum illius, quod a te accepi. Si quid maius in meis scriniis reperissem, obtulissem lubentissime. Hoc tamen tibi non ingratum fore, vt sperem, facit tua humanitas; &, vt confidam, iubet, tum tua eruditio, tum operis dignitas. Illius penes te sit iudicium. Et me tui amantem & obseruantissimum, redama. Vale vir Clarissime.



ORNATISSIMO VIRO, D. BERNARDO PENOTO, VTRIVSQVE MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO, *summoque Chimico, amico singulari;*

PETRVS ENOCHVS.

S. P. D.



QVOD crebris expostulationibus, PENOTE Doctissime, a te, per literas, petij, id tandem annuisti, nempe huiusce libri tui editionem, cuius αὐτόγραφον in eum finem ad me misisti, sicque & animj erga me tuj candorem, & studium, tuamque pietatẽ eximiam in proximorum tuorum vtilitatem testatam fecisti. Eum legi, idque multoties, & eius lectio repetita magis ac magis placuit. Ita vt liberè ausim dicere, totam Philosophantium cohortem D. Guiberto multum debere, qui suo li-

bro fucato, & lenocinijs verborum ſelectorum referto & ampullato, hos tuæ Mineruæ fœlices partus, in Lucem dare te adduxerit. Tu fortaſſis Elias ille Artiſta, qui in extrema huius mundi ſenecta, hanc Scientiam ſacram enucleare, & tot ambagibus, figuris, metaphoris, ænigmatibus, verbis obſcuris inuolutam explicare, detegere; facilem, & apertã reddere debes. Faxit DEVS, & vt inuictus athleta, quo pede cœpiſti, perge: Siſque, quæſo, φιλοψοχος σοῦ; maximè, vt tibi tempus, & ſanitas non deſint, in hac tua iam admodum prouecta ætate; ſed tamen, DEI beneficio, ſatis robuſta. Vberiores & deſideratos, quàm vnquam, producendi fructus in proborum φιλοχυμῶν, καὶ φιλιατρῶν commodum, & vtilitatem: relaturus tum a DEO Opt. Max. mercedem, à te in cœ-

lis expectatam, quàm accepturus tuarum virtutum, & beneficiorum encomia, & gratiarum actiones a pijs, & doctis coœuis tuis, qui te venerantur, & suspiciunt, & amant; apud quos etiam memoria tui, tuorumque laborum, vt & apud posteros pergrata, fœlix, semperque laudanda futura est. Vale, & me vnicè te amantem, redama; ac viue, vt ex animo exopto, Mathusalemi annos. Ambussone, kalendis Aprilis, anno reparatæ salutis 1607.

BERNAR-



BERNARDI PENOTI A PORTV S. MARIAE AQVITANI PRAEFATIO

Apologetica; in qua D. Nicolai Guiberti Lotharingi error, & falsa opinio, de Alchemia, tum authoritatibus, rationibúsque, tum exemplis euincitur.

NVsquam fuit. Ars, siue scientia tam sacra, quin suos habuerit osores & contradicētes hæreticos; inter quas Chemia non postremum tenet locum; quæ tamen, post diuinorum Mysteriorum contemplationem, nulla est dignior. Hæc verè Philosophandi dux; in qua & rerum secreta rimari licet & arcana facilè amplecti. Hæc bonis, hæc sapientib., hæc doctis viris, hæc Principibus, Regibus, & Imperatoribus digna exercitatio, & honesta voluptas præ cæteris appetenda. At licet sit magnus impostorum, & sophistarum numerus, hac nostra ferrea ætate, vix inter ipsos vir bonus dignosci potest. Vnde qui spagyricas artes in lucem reuocare conantur, ignobiles, & obscuri non modò remanent, verùm etiam experiuntur multorum odia.

Et ars ipsa ab iis, qui ei fauere & eam tueri deberent dilaceratur; & peius cane & angue odio habetur, vt videre est in libro D. Guiberti Lotharingi, in quo omni conatu & virib. nititur

probare artẽ Chemiam nullius momenti esse. Negans insuper Thomam Aquinatem, Raymundum, Arnaldum, libros de Lapide Philosophorum, eorum nomini attributos, scripsisse. Sed bene est, quod huiusmodi libri in Bibliothecis, vbi Præsides fuerunt, extant: imò quòd apud me aliquot sunt etiam. Valeat igitur Rhetor Guibertus cum sua loquacitate, quâ nihil vtilitatis adipiscitur, præter latinitatem, in qua summopere sibi placet. Nam meretriciis illis orationis pigmentis & verborum phaleratorum apparatu, non docere, sed fallere, non pascere animos solidis doctrinæ cibis, sed inanibus titillare verbis euenit: quod certum sequentibus demonstrationibus patebit. Non temerè, Magister Guiberte, rescindendum, quod longa consuetudine, multaque vetustate firmum est. At huic scientiæ quæsita, & firma virtute parta gloria est. Non igitur tuis scriptis aut tuorum similibus corruet. Cùm ante Æsculapium, longè ante Hippocratem confirmata & stabilita sit. Temerè igitur facis, quod vetustate multa firmum, id pauca latinitate destruere velis: quod tamen fieri non potest, nec vlla arte, nullis consiliis opprimi. Cuique igitur suis studiis frui concedatur. At nostri instituti minimè est, tempus in huiusmodi nugis refellendis terere. Sed breuitatis causa te, D. Guibertum, relego ad proæmium a Doctissimo Magistro Theobaldo de Hochelande Mittelburgensi editum, de Alchemiæ difficultatibus. Ibi enim quicquid desideratur & excogitari potest, reperitur; vt nemo amplius addere aliquid possit ad

quæ-

quæſtionem ſoluendam. Dicam igitur cum illo Doctiſſimo Viro, Doctiſſimorum & integerrimorum virorũ ſcripta, D. Thomæ Aquinatis, Hermetis Triſmegiſti, Raymũdi Lullij, Marſilij Ficini, Arnaldi Villanouanj (quem Iohannes Andreas Iuriſconſultus vocat Theologum, ſummum Medicum, & Alchemiſtam (& aliorum, qui omni exceptione ſunt maiores, Artem veriſſimam, & naturæ genetricis æmulam. Et cur Viris tam præclaris fidem detrahendam & ſciolis quibuſdam potius credendum iudicabimus, qui peruerſo Iudicio cauillantur artem vanam & adulteram eſſe? quique clamitant, non alia de cauſa ænigmaticè & obſcurè traditam, niſi vt exercerentur otioſorum hominum ingenia? Abſit vt exiſtimemus antiquos illos venerandæ authoritatis philoſophos conſultò aliquid falſitatis memoriæ commẽdare voluiſſe, qui ſummam operam Veritati inquirendæ ſemper nauarunt, famamq́ue in poſteros non ex nugis & inanibus, ſed arduis & ſublimibus, veroque ac ſtabili fundamento nixis quæſiuerunt.

Huc etiam accedit diuerſarum gentium conſenſus. Nec enim Latinorum ſolùm, ſed & Græcorum, Ægyptiorum, Arabum, Chaldæorum, Gallorum & Germanorum, Hiſpanorum & Anglorum de Metallorum metamorphoſi, monumenta quotidie ſtudioſorum hominum manibus teruntur, quæ vno ore quaſi (quanquam linguis diſſonis) clamant eſſe artem veriſſimam, nihilque poſt legem diuinam (vt in principio diximus, in qua eſt ſalus animæ) à

ſummo Deo in hoc mundo homini conceſſum fuiſſe magnificentius, aut ſublimius: & ſummopere ſummo ſtudio inueſtigandam vigilique labore quærendam prædicant. Forte in hoc falluntur qui artem negant, quòd cum infiniti Chemici huic vacent, neminem videant qui ſe ſcientiam adeptum eſſe glorietur. Sed ſapientibus & cauſas euentuum perſcrutantibus nihil admiratione dignum contingit. Quandoquidem admirationis mater ignorantia ipſa eſt. Quotuſquiſque enim eſt qui in debita materia operetur vt oportet? Vnus vix è millibus. Quid igitur mirum, ſi debito multi fruſtrantur fine? Quare non inſulſe Auicēna inquit, Qui accepit quod debet & miſcet & operatur vt debet, procedit inde vt debet procedere. Pleriq; indocti ſūt ſane, qui ne cōmunē quidē ſermonē intelligant, eò minus ergo metaphoras & ſapientum analogias. Alij, quamuis docti ſint, & ingenio perſpicaci, libros tamen non habent, aut quia expendere & illorum pretia non valent ſoluere ob auaritiam, aut non poſſunt ob paupertatem ſibi comparare, aut quod exemplaria inuenire nequeant, iis in locis quibus immorantur & à peregrinatione abhorreant: illi verò qui libros & artem per DEI gratiam conſequuti ſunt, meminerint dicti Salomonis, ſapiens abſcondit ſcientiam; Os autem ſtulti confuſioni proximum eſt. Neque enim deſunt cauſæ quare ſciētes ſe ſe non reuelent. Cur verò? Vno verbo reſpondebo: Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Plurimi noſtris temporibus miſerè perierunt ob Principum inuidiam, timentium ne

ab eorum poteſtate aufugerent, ſed de iis in ſequentib. Quidni crederent Thomæ Aquinati, dicenti, nihil prohibere artem vti naturalibus cauſis ad producendum naturales & veros effectus. Quamobrem pedibus in ſententiam Marſilij Ficini eunt, qui Viuentia omnia tam plantas quàm animalia ſpiritu quodam ſe multiplicare affirmant. Spiritum autem in metallis craſſiori cohiberi materia, qui ſi aliquantum ritè ſecernatur, ſecretúſque in ſua ſede connaturali conſeruetur, præter omne falſum poſſet ſibi ſimile generare. Qui tantorum virorum & tot gentiū conſenſui non credit, rationibus ne ipſa experientia victum ſe fatebitur, ſed potius Diabolo & futilium magorum nugamentis, quàm Deo & naturæ poteſtati trāſmutationis effectum adſcribit. Sed quæſo à quibusnam potiſſimùm Arti contradicitur? Ab iis nempe qui mea olfecerunt aut nunquam libros Chemicos niſi raptim perlegerunt: Eo plane modo quo canes è Nilo aquam lambunt & fugiunt, qui cum non intelligant intima naturæ penetralia ſcrutantibus Philoſophis & arti, ingenij tarditate culpam imponunt. At quid iniquius quàm vt oderint homines quod ignorant. Quid magis temerarium quàm vt iudicium ferat rei imperitus? Dudum non fruſtra exclamauit comicus, Homine imperito nuſquam quicquam iniuſtius, qui niſi quod ipſe facit nihil rectum putat: At ſi diceret Scientia non habet inimicum niſi ignorantem.

Ad confirmandam veritatem quæſtionis, An ars ſit, multum valent authoritas, ratio & experientia. Poſſem verò primùm multorum grauiſſimorum Virorum teſtimoniis, authoritate & experientia artem veram eſſe euincere. Non ita pridem eſt, me à Clariſſimo viro tibi, Guiberte, bene noto, & cuius patris quondã familiariter conſuetudine vtebaris, literas accepiſſe, quas cum cæteris, Deo fauẽte, aliquando in lucem proferam, quibus doctus ille vir ad me ſcripſit, ſe virum quendam probum Chemicum in ædibus ſuis accepiſſe, eique vncias quatuor cum dimidia plumbi ſuppeditaſſe, & mediante ſemigrano certi cuiuſdam pulueris rubei, ſupra fuſum plumbum proiecto, totum plumbum in veriſſimum puriſſimúmque aurum conuerſum fuiſſe, abſque vlla diminutione. Argentinæ etiã, præſentibus viris probis & fide dignis, majora præſtitiſſe, me quoque certiorem fecerunt alij. Qui hoc præſtitit homo eſt mihi bene notus, & in Anglia vnà commenſales fuimus. Superſtes eſt, Dei gratia. Aſt hominem vt te conueniat, vtque experiẽtia te præſente artem probet eſſe veram, expectare noli.

Inſuper audio Lutetiæ ante aliquod menſes, Iuuenem nomine Carolum, Doctoris Sorbonici famulum, apud quendã magnæ authoritatis aulicum delatũ, quòd arte Chemica aurum conflatum nullum examen ſubterfugiens, hinc inde diuenderet; is iuſſu Magnatis à Lictoribus captus, dum in cuſtodiam duceretur, & in via ſibi notum aurifabrum offendiſſet, dixit, An non vis a me adhuc marcas quinque argenti puriſſi-

mi emere? Pragæ verò, meo tempore, idem ab Edoardo Kelleio factum est in ædibus Doctoris Aggecij Thaddæj, Vbi libram integram argenti viui in purissimum aurũ conuersam, guttulâ vnica liquoris rubicundissimi, vidi. Extat adhuc & seruat, vt incredulos exemplo illo vincat. Præ manibus sæpius habuj, & quod magis mirum est, restat videre signum illius laticis hærentis supra mercurium in aurum conuersum, instar rubinj, & ex illo residuo, posse iterum tantum aurj fabricare, quàm antea. Taceo nunc de Bohemia & Saxonia, tempus omnia reuelat. Et nisi de his librj plures editi essent, inter quos lege libellum de Veritate & antiquitate artis Chemiæ authore Petro Roberto Vallense, & Petri Boni Ferrariensis de certitudine artis, qui inter alia inquit, Saltem sileant & quæ ipsi ignorant non condemnent. Nemo verus Sapiens artem negauit. Meditentur hæc, Ars si sit, quomodo sit: Et si non sit, quomodo nõ sit. Aut tempus expectent, quo Deus aliquem excitet, vt ars clarior & lucidior euadat. Quandoquidem Dei prouidentia præuisum est, vt quisque ambulet in vocatione quâ vocatus est. Et ne sutor vltra crepidam. Arrige aures. D. Guiberte & Orationi meæ attende. Quandoquidem multa hactenus à Philosophis, qui verè Philosophi dici & meritò possunt vocarj, occultata fuere: in tui gratiam & tui similiũ artem à Veteribus Patribus ænigmatibus, obscuris Vocibus refertam, enucleabo. At primùm & necessarium in qualibet scientia habere subiectum oportet, circa quod ædificetur. Hæc au-

tem ſcientia pro ſubiecto habet vniuerſam naturam. Idcirco aiunt lapidem eſſe in omnibus. Non tamen quod eius materia ex omnibus rebus ſeligatur. Imò dicitur in omnibus eſſe ratione primi mouentis in rebus naturalibus, qui ſpiritus vegegatilis nuncupatur, quo noſtra materia Lapidis præ cæteris abundat. Spiritus hic tam eſt in animalibus vegetalibus, quàm mineralibus. Ideo lapis dicitur animalis vegetalis & mineralis, non propterea debet elicj ex animalibus aut vegetabilibus. Nam (ait Philoſophus) ſi vis mederi metallis, origo tuæ medicinæ ſit ex metallis. At ſpiritus iſte nimis ſigillatus eſt in metallis, quæſiuerunt in mineralibus non in omnibus, ſed vbi natura illum abdidit. Quo igitur nomine hæc materia inſignitur? Dicam, ſed prius percunctor; Tu D. Guiberte, ſi libet reſpondebis, quid tu intendis facere? Quia ex fine intentionis reſultat principium operis. Si dicas aurum & argentum, perperam reſpondebis. Quandoquidem veterum ſapientum intentio nuſquam fuit, vt aurum & argentum iſta medicina conſtruerentur. Finis & ſcopus eorum fuit vt mens ſana in corpore ſano eſſet vſque ad terminum à Deo præfinitum. Tantæ enim ſunt vires in hoc puluere in corpore aſſumpto, vt in momento æquet humores, & corpus temperet eo temperamento, vt vnus alteri humori non dominetur, quod Raymundus Lullius optimè nouit & vſus eſt, Vixitque centum

& qua-

& quadraginta annos, & nisi à Sarracenis interfectus, superasset ducentos (si Deus voluisset), Sapientes ista animaduertente vltra perscrutantes, tentare voluerunt supra metalla imperfecta, sic ratiocinantes, si medicina ista lepram & hydropisim sanat, & humanum corpus conseruat, quid verò supra imperfecta metalla? Et ita tentarunt, & verum repererunt. Tunc sese iuramento obstrinxerunt, nunquam artis arcana patefacere, imò occultare cœperunt artem ne ab indignis raperetur. Longum esset argumentum hoc prosequi, non Volumina parua construere oportet. Sed de his alibj. Ad orationem institutam reuertemur, vt intelligatur de quo agendum sit, nempe de materia Lapidis. Huc ferè omnes Alchemistæ impingunt. Cùm Philosophi omnibus nominibus nuncupent, & hoc iuxta colorum varietatem, nam antequam ad summam albedinem deueniat, apparent omnes colores qui excogitarj possunt. Eo enim nomine cuius color erumpit, nominarunt. Non mirum, si plures sunt delusi operantes circa literam quæ occidit, spiritus, idest occultus sensus viuificat. Praxis huius magni operis maximum naturæ superat arcanum. Et nisi diuinitùs aut ab artificibus reueletur, aut ipso opere ostendatur, nunquam ex libris exculpetur, nisi veræ materiæ cognitionem habueris, tunc liber librum aperit, & non antea.

Dicamus igitur, Sulphur & Argentũ viuum materia sunt lapidis. Idcirco eorum cognitio est necessaria, vt melior seligatur, quò citius lapis perficiatur. Certa quædam materia latet in corpore quodam parata, absque alia præparatione. At difficillima est ars Inueniẽdi, vt Raymundus dicat, in hoc mundo Inferiori, nullum maius secretum quàm illud, quod consistit in Saturno Philosophorum adeo; vt illi qui penitius eius virtutem & naturam perscrutati sunt, inuicem sese Iuramento obstrinxerint, nunquam prodituros naturæ secreta, ad extremum vsque vitæ terminum. Quandoquidem eius Operatio est plane huiusmodi, vt varios habeat Vsus, quod debitè præparatum, non solum tetros corruptosque humores nostri corporis pellit; Verùm etiam imperfecta metalla in purissimum aurum, quibuscunque experimentis probatum, conuertit. Ast ego pietate motus, materiam proprio nomine referabo. Et cum Arnaldo de Retardanda senectute enucleabo. Vocat enim Chiffir minerale, id est, Lapidem animalem. Huius veteres præparationem propter inuidiam, cælarunt. Alio autem nomine saltem mineralem notauerunt, eiusque præparationem etiam occultauerunt, nam præparatum, aurum, corallia, & margaritas potabilia reddit. Abissini autem Bistumj nominant. Alij chaos minerale, in quo maxima vis mineralis est; in quo etiam omnia metalla latent, & lucent. Item alius dicit, Materia Lapidis nihil aliud est, quàm spiritus mundi corporeus in ventre terræ factus, qui à se recipit facultates

omnes

omnes tam animales quàm vegetabiles & minerales, vt superius dictum est: sicut aliqua cera recipit in se omnium formarum impreſsionem, sic argentum viuum delitescens in materia lapidis, recipit omnium rerum proprietates. Vide igitur, D. Guiberte, si elicitus & liberatus a suo chao, & suis fæcibus vindicatus, & in quintã eſsẽtiã redactus, quã mirabilia præstaret? Lapis Sapiẽtũ inquit Senior in ipso & ex ipso perficitur. Radix & rami folia flores & fructus. Est enĩ sicut arbor: ex vna arbore quot rami, quot denique grana? Ita se habet nostra frugifera arbor Philosophica, continens in se auri & argenti semina, quæ in propriam terram seminata, plurimos Soles & Lunas producet in infinitum, sicuti semen ita & seminatũ. Naturaliter enim natura similis in natura sua simili actionem & operationem habet perpetuam, & non diuersa specie, multò minus in diuerso genere. Quò enim est maior rerum diuersitas, eò etiam maior est rerum vnitas. Natura verò disponit omnia in potentia, quatenus ars ea potest & debet perficere actu. Natura enim vitri materiam produxit, nusquam vitrum. *Sic* ferrum in rudi materia iacens creauit, rudêque nobis tradidit elaborandum, vt ex eo calceos equis paremus; lanceas & falces faciamus. Herbas, arbores, gemmas, corallos, aurum & omne id quod oculis cernitur, Medicinam rectè non dixeris, sed est rudis & immunda materia, in qua adhuc pars impurior manet & occultatur. Alchemia verò medicinã purgare, diſsoluere, & heterogenea ab homogeneis secernere docet: Aliter putrida putridis, &

corruptibilia corruptibilibus miſcerentur. Etiam Author naturæ Deus materiam quandam lapidis vnicam & ſimplicem creauit, quam metallorum radicem ſapientes vocauerunt. Si per Chemiſtã Philoſophum nõ diſponeretur de potentia ad actum, ſemper in eodem ſtatu permaneret, veluti vitri materia. Nam ſi per magiſterium vitriarij non diſponatur, nuſquam vitrã fiet. Hæc lapidis materia vnica eſt res, vt ſæpius repetitum eſt. Igitur vnum quod eſt, non numeratur, nec diuiditur. Si enim numeraretur, vnũ eſſe deſineret. Et ſi diuidatur, cõpoſitum eſſe incipit. Vnum verò & ſimplex memẽto accipere, ſi vis in Philoſophia profiteri. Ab vno & ſimplici qui in Philoſophia recedit, finem & perfectionẽ nũquã inueniet, quandoquidẽ natura ex vno produxit omnia: & ſic in vno conueniunt ambo ſimul. Eſt natura mater, & ars filia. Et vbi natura deſinit, ibi ars incipit. Et ſic eſt ordo & regula veritatis & non aliter. Vnum igitur vbi inueniſti, quod in ſe ipſo habet omnia, quibus ad perfectionem ſui indiget, alia extranea illi vni rei adhibere noli, aliâs non perfectiones, ſed corruptionem operaberis, & ipſe peſſimè decipieris. Materia enim lapidis eſt vnica res, non adeo ſimplex, quin quatuor conſtet elementis, vt cæteræ res elementatæ. Sicuti arbor plantata ex ſeipſa, in ſeipſa, & per ſeipſam, ſuos fructus profert in tempore ſuo. Noſtra enim materia ſic ſe habet vt arbor, ſi tranſplantetur, ſua quoque aqua irroretur, producet ſuum fructum, quò ſupra impura

metalla feminato ,conuertet in aurum puriſſimum indubitanter. Arbor illa Philoſophiæ quidquid ei neceſſarium eſt, in ſe continet, ſine alterius præſidio, vt in Dialogo & ſequentibus perſpicuè (Deo volente) videbimus.

Tu verò, D Guiberte, ſapientum regulas admonitionéſque ſequere, dicentium: De iis, quæ nobis non apparent, certum non habemus iudicium. Et quæ nobis dubia ſunt, in meliorem partem interpretari debemus. Sapientis igitur eſt, de iis quorum cognitionem & certitudinem non habet; potius iudicium ſuſpendere, quàm ita mordicùs inſectari. Quandoquidem propter abuſum non tollitur vſus. Artifices non æquales, vnus altero peritior conſpicitur. Ars enim non pendet ab artifice, ſed artifex ab arte. Ideo ante omnia in hac quæſtione, An ars aliqua ſit licita, cõſiderandùm eſt. An Diuino aut humano aliquo iure ſit prohibita. Nam licita aut illicita ita diſcernuntur. Quantum ad Diuinam, certum nullum textum reperio, vbi Alchemia, & auri confectio prohibeatur: cum tamen innumera vitia & crimina legiſlator diuinus Moſes in Leuitico & Deuteronomio perſequatur. Neque puto magis illum prohibuiſſe diſtillationes & alembicationes, & auri & argenti confectionem, quàm iocalium & annulorum, cæterorúmque eiuſmodi ornamentorum conflaturam. Quantus etiam laminarum & bractearum auri vſus apud populum

Dei fuerit, nemini ignotum eſt, imò videtur Eſdras ſuffragari Chemiſtis cap. VIII. lib. IIII. Et reſpondit ad me & dixit, Hoc ſeculum fecit Altiſſimus propter multos; futurum autem propter paucos. Dicam autem ſimilitudinem ô Eſdra: Quomodo autem interrogabis terram & dicet tibi, quoniam dabit terram multam magis, vnde fiat fictile; paruum autem puluerem vnde fit aurum, ſic & actus præſentis ſeculi. Quantum verò ad Ius Ciuile, certè nulla litera in Digeſtis, Cod. Iuſt. vel Nouell. oſtẽdi poteſt, quæ ad prohibitionẽ Alchemiæ pertineat. Imò potius fuſorum ars cõprobatur & laudatur. At plures ſunt Alchemiſtæ monetarum corruptores, falſarij. Et ſacra pagina quot Hæreticos? quot Medicina impoſtores habet? Et Iuriſprudentia, in qua tot ſunt rabulæ? Harum diſputationum laudanda eſt pietas & probitas. Sed tamen rogandi ſunt, vt cogitent artificum vitia nequaquam arti imputanda eſſe. Sed, vt ait Iuriſconſultus: Alieni admiſſi pœna ab iis, quos nulla culpa contingit, remoueatur. In summa, quilibet non amat id cuius cognitionem non habet, ſed etiam fugit, contemnit, nec diſcendum putat. Corpus ſolummodo externum curat, ménſque ſuum Deum colit. Quantò autem ſcientia ac cognitio alicuius rei plus creſcit, eò magis amor eius augetur. Aſt Guibertus linguæ latinæ, & loquentiæ cognitionem haud ignorat; ideò Commentarios ſuos verborum lenocinio conſcripſit, vt tali fuco artem ſibi incognitam annihilet. Nos verò for-

fornaces circa versamur, nostroque fumoso latino conamur simplici oratione veritatem tueri & defendere. Testor enim me non vidisse, neque legisse D. Guiberti libellum, sed relatu cuiusdam amantissimi amici, & illius rogatu prouinciam respondendi accepimus, misitque amicus ipsius Nicolai, Balsami Ægyptiaci descriptionem. At in sequentibus nos (DEO propitio) Balsamum alium longè præstantiorem exhibebimus, vnico simplici confectum.

Interea Lectores beneuoli, & opere & ore & scriptis veritatem ab iniuria vindicate, & Deus Veritatis & Mysteriorum author nobiscum erit. Iterum bene valete, & quicquid a me propositum est, boni consulite.



FACILITAS OPERIS EST EIVS obscuritas. Etiam ex solo Argento viuo Philosophorum Lapis confici potest: Quare dicitur Philosophorum, & non Naturæ.



On est, vt diutius immorer ad D. Guiberti errorem de Balsamo Ægyptiaco corrigendum. Quantum Ægyptus a nobis distat nemo ignorat. Fruamur more Majorum (inquit doctus Hollerius) natura nobis domestica atque familiari; legatur materia nobiscum edita, quamque vltronea natura promit. Aliis autem remediis, veluti externa manu & au-

xiliaribus copiis vti conueniet. In eadem causa sũt, quibus nihil placere potest, nisi quod Indiã loquatur & extremum Oceanum; qui tantum externa probant & exoticas merces admirantur. Hunc errorem ignoratio primùm peperit. Deinde quia rudibus ingeniis bonarum rerum consuetudo grauis est, & bona fide oblatæ merces vulgò sordescunt. Quid quod externa illa longo quæsita mari, grauibus periculis inuenta, insanóue sumptu comparata, exoleta ferè, adulterata, suspecta deníque ad nos perueniunt, nec alio sæpe momento constant, quàm imposturâ. Annon hæc dementia est ita subscribere alienis? Vana, euanida, ac ferè dubia auxilia sic persequi, vt vrgentem domi extemporaneam certamque medicinam deseras? Medentur scilicet aliena fide, etiam impunè est iugulare ægros: Institorum fraude calcantur multa, & sunt in oculis, quæ cum flatis fusis recoctis, & ex India & rubro mari comportatis præferas. Vernaculæ nobis sunt atque domesticæ opes, quibus vulnera coniungas, repurges sordida, sinus impleas, & Cicatrices claudas, cæteraque præstes omnia, quæ Chirurgi opere atque disciplina continẽtur. Exquirãtur foras, quæ domi nõ habeas. Ast enim domi, & in syluis, ferè in omnibus locis habes simplex, a quo potes elicere Balsamũ sine sumptu, saltem paruo, non magno labore petitum, quo omnibus Vulneribus desperatis potes mederi, circa 24 horarum spatium.

TALIS EST FORMVLA.

Sub finem mensis septembris grana illa ru-

bra, quæ Matriſſylua, alias Periclimenon dicta, fert, ad ſufficientem quantitatem collige, & in cucurbitam ſeu botiam pone: obtura probe cucurbitam nequid reſpiret, & in fimum equinum calidum, per octiduum reponatur. Peracto tempore aquam in Baln: Mariæ elice: Deinde quod diſtillatum eſt, ſupra fæces repone, & iterum in fimum equinum per 24 horas collocabis, quibus abſolutis, per cineres iterum diſtillationem prouocabis: exibit inde aqua & oleum, quæ per balneum mariæ ſeparanda ſunt: aqua primò exibit, oleum verò in imo vaſis reſidebit. Illud eſt Balſamus ille admirabilis, cuius & admirandas virtutes in noſtro Antidotario Chemico, vnà cum reliquis adnumerabimus, mediante Ieſu Chriſto. Tu interim, candide Lector, eo fruere & Vale.



INCIPIT ARISLAI VETVSTISSIMI PHILOSOphi, de lapide Philoſophico, in modum Dialogi, opus, hactenus non excuſſum, &c.



IN nomine DEI omnipotentis, Amen. Scias, Chariſſime, quod Spiritus Domini ante cœli & terræ creationem, ferebatur ſuper aquas. Deinde omnia ex A-

qua creata sunt. Hanc aquam diuisit DEVS, cùm dixit & præcepit aquæ partem fieri aridã. Hanc : vocauit terram, aliam aquam nonconuersã ad terrã:cõseruauit irrigandã vt humectaretur. Quia terra fructum nullum dat,nisi aqua sua pluuiali humectetur.

Nunc manifestabo tibi naturali conditione, de Lapide omnium Philosophorũ in hoc meo proposito,qui triplici veste est ornatus: scilicet Lapis diuitiarum & charitatis: Lapis releuationis ab omni languore,& in eo continetur omne secretum,& dicitur Diuinum Mysterium à DEO datum:& in mundo non est res sublimior. Ergo diligẽter notare debes, quod tibi dixi,Lapidem nostrum triplici veste esse ornatum. i. diuisum, corpore scilicet spiritu & anima tenebrosum est. Et vt id corpus reuiuicetur, redde ipsi animã,& viuet. DISC. Bone Magister non intelligo dicta tua, nimis enim sunt mihi obscura : quandoquidem superius de vno tãtum Lapide mihi dixisti, nunc autem de tribus, scilicet de corpore, spiritu & anima. Si esset vnus lapis nõ essent tres. MAG. O Fili,remoue velamen tuæ ignorantiæ, & cognosce veritatem;nonne dixi vnum Lapidem,siue vnam rem tantum ; quia cùm corpus in suam primam materiam redactum est,scil.in aquam vnduosam,tunc dicitur vna res. Et radix physica,ex qua rami infiniti multiplicantur, dicitur Lapis, in capitulis philosophorũ notus, & Philosophi habuerũt. Ideò ab illo Lapide scil. terra alba vel rubra,extrahitur anima sua,per modũ separationis & subtiliationis. DISC. Dilecte Magister, vtrum sublimatio, i. subtiliatio sit necessaria

cessaria in hoc opere. MAG. Scias, ô Fili, quod sublimatio nostra non vulgi est, sed est Philosophica. Nostra etenī sublimatio nō est aliud, nisi subtiliatio, eò quòd in sublimatione ipsius Lapidis superfluitates remouentur, partes verò non fixæ eleuantur per fumum & ventum à partibus fixis. Sed volumus, quod hæc duo fixentur & præstent facilem fusionem. Ideò qui perfectè sublimat, subtiliat: totum opus perficit. DISC. Magister, audiui sæpius â te, quòd Elementa separantur per modū separationis. MAG. Fili mi, scias quod in sublimatione nostra hoc totum fit: quia illa elementa, in nostra sublimatione perfectissimè separantur, & lapis quidam albus completur tribus Elementis, scil. terra, aqua. i. Mercurio & anima: & scias quod fæx. i. terra, est radix & dicitur nutrix omnium Elementorum, & verum fermentum: Aër. i. anima, est penetrans: spiritus. i. Mercurius est portans: & sic capias nostram sublimationem. i. subtiliationem: & illa dicuntur Elementa. Atque vt melius intelligas, Terra nostra fixat spiritum. i. Mercurium & fermentat, Aër. i. Anima penetrat: Spiritus i. Mercurius terram mundat & abluit à sua impuritate. V.g. Quādo de cœlo pluit aqua super terram, tunc fit lutum nigrum, quod ex decoctione ipsius solis. i. ignis, ipsa aqua. i. spiritus exsiccatur, & sic fit terra alba. Sic est in opere nostro, ô Fili, pauci sunt qui illam subtiliationem intelligant. Idcirco qui illam ignorāt, in vanum laborant. DISC. O Magister excellentis doctrinæ, dic obsecro, vtrum hæc omnia fieri possint vno Vase, & vno furno?

MAG. Scias, Fili mi, secundum materiæ quãtitatem. Quòd si materia fuerit multa, tunc in vno vase compleri non poterit, sed in pluribus, vnum vas & vnus furnus, in quo vase fit nostra sublimatio.i.subtiliatio, coagulatio, fixioæ, incératio, solutio, tĩctura alba & rubea. DISC. O Magister, admodũ lætatus sum ex iis, quæ dicta sũt mihi. Hoc enim multis temporibus scrutatus sum, & nunquam experiri potui. Nunc verò per tuam eruditionem veritatem huius Magisterij planè agnosco. Sed, Dilecte magister, tua Reuerentia dignetur mihi enucleare modum coniunctionis Elementorum. Quandoquidem separationem nec coniunctionem, fateor ingenuè me non intelligere. MAG. Libẽter, Fili mi, aures tuas inclina, & intellige verba mea, & custodi. Postquam separasti spiritum & animam a suo corpore.i. Intelligas essentias aëreas, tũc red de radici suæ formam quantitatiuam per modũ vnionis, & certe corpus statim suscipiet animã suam; sicut natura naturam. Tũc procede ad regimem ipsius, quo vsque terra, quasi quinta essentia confluxerit & imbibatur aqua sua in tempore suo, Donec aquam bibat: & iubeas terram impregnari. DISC. O bone magister, adhuc me doceas: postquam terra confluxerit, quã nominasti quintam essentiam, vtrum illa confluxio statim tinget? MAG. O Fili, tuo desiderio satisfaciam: illa confluxio quæ quinta essentia dicitur, est corpus simplex, & in eo non continetur motus elementaris, sicut in aliis elementis corporeis; & est ratio, quia illud corpus superadditamentum elementorum dicitur extractum ab

eis,

eis, si vis vt fiat Elixir perfectum, quod trãssubstantiare possit omne sibi coniunctum: hoc fieri minimè potest, nisi per solutionem suam sæpius repetitam. Etenim quoties portaueris super ipsum lapidem eius bonitatem. i. Aquam suam vel spiritum, toties multas partes in proiectione lucraberis. Modus verò solutionis talis est. Postquam lapis noster in igne nostro mundissimus & albus factus est, & absque omni sorde, tunc verte ipsum in puluerem subtilem in vno lapide. Cum aceto nostro clarissimo & cœlestissimo, solue; & soluetur statim in aquam clarissimam physicam, quasi fontaneam. Postquã lapis noster ita solutus fuerit, tunc distilla nostra distillatione, & coagula in igne, temperato calore, & vltimò calcina post coagulationem per modũ suum, vt multoties repetij: & scias, quod in quinta dissolutiõe lapidis, vna pars tingit 100. partes in aurũ purissimũ: & hoc est solutio nostra; secretũ secretorũ. DISC. O amantissime magister, quàm magna sunt opera DEI, quòd tale donum filiis suis dignatus est erogare. At ego tibi gratias immortales ago, quòd tua instructione ductus sum ad finem operis: iam mihi non opus erit amplius tristari. Cor enim meum omni gaudio & desiderio repletum est. Primò agnosco omnes laborantes extra viam illam, magnis erroribus esse inuolutos: Nonnullos in Salibus, Aluminibus, Boracibus, capillis, vrina, ouis sanguine, aquis fortibus; in solis spiritibus, solis corporibus; in Arsenico, Magnesia, auripigmento, melle, pinguedinibus &c. pessima eorum ignorantia, excæcatos esse. Sed nunc

cõsidero ex tua gratia, quod tinctura Lapidis extrahitur ex solo Mercurio sapientum: qui Mercurius est Physicus, non vulgi, vt ille qui ex terra foditur, sed noster Mercurius continet corpus spiritum & animam, vt tu Magister in principio huius libelli me docuisti. MAG. Enimuerò video, quòd in mũdo nõ est alia res necessaria, nisi ille Lapis solus in hoc opere nobis Filiis notus. DISC. O amantissime Magister, mihi videtur, quod totius operis complementum habeo, vno excepto maximo arcano: vt sæpe audiui à te, videlicet de Multiplicatione Lapidis, vtrum in multiplicatione Lapidis, sit Lapis reiterandus à principio, per spatium tam longum & prolixum, vel quis sit modus. MAG. Exprimam tibi duas expositiones, videlicet, Theologicè & Physicè. Primo in Genesi cap. VI. dixit DEVS faciamus hominem, ad imaginem & similitudinem nostram. Non igitur creauit illum hominem, vt solum illum sine aliquo adiuncto in mundo conseruaret: Non enim voluit, nec fieri potuit, quòd ex solo viro generationes pullularent, sed ex sibi simili adiuncto, videlicet ex muliere; & sic natura retinet semen generationis, multiplicando in finem vsque seculi. Sic est in proposito nostri magisterij, quia Sol retinuit sulphur suum. i. semen suum ad generandum aurum, secundum cursum suum naturalem, & Luna semen suum. i. sulphur suum ad generãdũ argentum. Sed tale sulphur est nostrum & sapientum, & non reperitur super terram, nisi in illis corporibus ex quibus extrahitur, sicuti te docui in prioribus capitulis. Et huius sulphuris

fer-

fermentatio fermentatiuè Mercurius noster est; quia ex illo semine fermenti fructus colligitur, ad alium fructum multiplicãdum &c. Metitur, & fructus colligitur, & vsque in sempiternum nũquã desinit esse. DISC. O Magister oro vt plenius me doceas. MAG. Libẽter Fili mi. Sic multiplicabis lapidem in sua multiplicatione. ℞ de aqua ex Lapide extracta põdus suum, & de seruo bene loto in regimine suo bene commisce: Hæc sine confluxione: & sis cautus in hac compositione ne confluxerit: & tunc post commixtionẽ loca sapienter in balneo. i. ad calorem lentum; tunc omnino soluetur in aquam lacteam, quæ aqua est lac virginis & acetum Philosophorum: & hoc fit spatio vnius mensis, atque hoc sub discretione. Tunc permittas eum eleuari in cœlum, & fiat volatile. Postquam videris eum tali eleuatione decoratum, tunc iubeas eum descendere in terram, & tunc erit lapis fluxus & fluens & hoc in gradu regiminis & mensura, & habebis lapidis multiplicationem. Tunc diuide in partes, vnam pro vsu reseruandam, alteram ad augmentandam. Et primò fac fixum & mundum Lapidem volatilem ascendẽdo, & Lapidẽ fixum in terram descendendo, & fixum solutum in aceto distillato claro & puro, quousque tingit Mercurium, & omne corpus in Solẽ & Lunam (multò melius omni naturali) Sicque habebis honorem & gloriam huius mundi, & fugiet a te omnis obscuritas. Igitur, Fili mi, vnum abs te requiro, vt DEVM diligas ex toto corde tuo, qui tibi hoc Magisterium, per me indignũ, à sua gratia largitus est. Laus Deo per infinita sæ

cula sæculorum. Amen. Explicui Arislai antiqui Philosophi Dialogum. Incipit alia Practica Philosophica.

INCIPIT PRACTICA MIRABILIS Philosophica, quam qui intelligit, aliorum librorum lectione opus non habet.

IN hoc prius incumbe; Dilige Deum, qui cordium scrutator est, & coram eo rectè ambula, & à malo pedem retrahe. Hæc etenim scientia Dei donum est, ne quis glorietur se assequi posse proprio studio, absque eius numine. Ora, labora, & qui non errauit nondum incœpit, & sub potestate alterius operari noli. Quandoquidem est opus leue, & paucas expensas requirit, sed patiētiam & moram. Quod si nodum semel solueris, ludus puerorum & opus mulierum erit. Si radices numeralium rectè noueris: sat habes. Isto tractatu sis cōtētus, & Christus Iesus maiora suppeditabit. Beno sis & vale Lector: & tuum Portum Aquitanum amare velis; maiora daturum, si Deus concesserit tempore longo vitam.

Nunc in DEI benedictione Practicam reserabo, & modum agendi philosophicum: quomodo perficiatur ipsum Elixir, siue tinctura alba & rubea ex solo Mercurio philosophorum, super ipsum Mercurium crudum, & super omnia mineralia corpora à perfectione diminuta, etiam supra stibium; vt in perfectione consistat, & perfecta lunaria & solaria corpora, omnia naturâ meliora. Ex ☿ igitur sapientum, qui apud Philosophos materia prima dicitur, & elemen-

tum aqueum frigidum & humidum, aqua permanens, ſpiritus corporis, vapor vnctuoſus, aqua benedicta, aqua venenoſa, aqua ſapientum, acetum philoſophorum, aqua mineralis, ros cœleſtis gratiæ, lac virginis, Mercurius corporis Magneſia, Radix philoſophica, & aliis nominibus infinitis in Philoſophorum libris nominatur. Quæ quidem nomina, varia licet, tamen ſemper vera, vnam & eandem rem ſignificant, vtpote ſolum ☿ ſapientum, & ex ipſo ſolo Elixir, virtus omnis philoſophiæ, & ſuo modo tinctura alba, & rubea. Ergo dicit Geber magiſter magiſtrorum, quòd in rerum multitudine ars noſtra non perficitur, eſt enim res vna, Lapis vnus, Medicina vna, in qua conſiſtit totum magiſterium: cui rem extraneam non addimus, niſi quod in eius præparatione, ſuperflua remouemus. Nam in eo & per eum ſunt omnia huius artis neceſſaria. Et dicitur notanter; Cui non addimus rem extraneam, propter aurum & argentum, quia non ſunt extranea ipſi Lapidi, ſi apponantur in eius fermentatione, quia ſunt coadiutores duo, per quos opus phyſicorũ completur. Et alius Philoſophus ait, venerabili natura vtimur, quoniam natura non emendatur, niſi in ſua natura. Itaque alienum non licet introducere, nec puluerem, nec aquam, nec vllam rem extraneam; quia diuerſæ res noſtrum phyſicum Lapidem non emendant. Vt hic patet intuenti, quod tinctura Lapidis Philoſophorum non extrahitur, niſi ex Mercurio ſapientum; omnibus aliis rebus inutilibus & ſuſpectis, vt ſunt ſales, alumina, vitriola, boracia, aquæ fortes &c.

Mercurius igitur prænominatus eſt radix phyſica, arbor alta, ex qua rami infiniti multiplicantur. Et iſte dicitur Lapis, in capitibus librorum Philoſophorum notus, quem Philoſophi habuerunt. Prima verò Lapidis operatio dicitur ſublimatio. Quomodo autem Mercurius Philoſophorum debeat ſublimari & ad perfectionem deduci, in ſequentibus lucidè, abſq; vlla palliatione patefiet. Sed nota, quòd iſta ſublimatio non eſt vulgaris, ſed phyſica. Noſtra enim ſublimatio non eſt aliud, niſi rei ſubtiliatio, eò quòd in ſublimatione phyſica eſt partium non fixarum à partibus fixis eleuatio: quia partes ſubtiles non fixæ eleuantur per fumum à partibus fixis. Volumus quod non ſeparentur ab inuicem, ſed remaneant ſimul, & mutuò figātur. Et ſcias, qui rectè figit, ſublimat. i. ſubtiliat noſtrū phyſicū ☿ in quo virtus noſtri Lapidis eſt, & totū noſtrū magiſteriū perpetrat & facit. Nā, vt Geber ait, artis tota perfectio cōſiſtit ſolūin ſublimatione, in vaſe, & regimine ignis, quoniā in iſta ſublimatione fiūt & cōſiſtūt omnes iſti modi, vtpote ſublimatio, diſtillatio, aſcenſio, deſcenſus, coagulatio, putrefactio, calcinatio, fixio &c. Tinctura alba & rubea, vno furno, vno vaſe, vna via lineari vſque ad eius conſeruationem. De quibus Philoſophi multa capitula tradiderunt, vt ſcientia fieret obſcurior ad intelligendum, vt inſipientes, ad eam nullatenus peruenirent.

CAPVT PRIMVM DE PRÆparatione prima.

Accipe in Domini Ieſu Chriſti nomine, præpa-

præparatum venalem Mercurium, aquam philosophorum, primam Hyle ſapientum, & ponas ipſum in ſuum vas mundum, clarum, lucidum, rotundum, orificio eius bene obturato ſigillo hermetis, & ponas ipſum ad ſuffocandum in ſuum lectulum temperatum & calidum per menſem philoſophorum, per menſem continuò calidum, conſeruando eum in ſui caloris ſublimatione, quouſque non ſudauerit, modo aſcenſionis & deſcenſionis, donec ipſe intrinſecus incipiat putrefieri, ſuffocari, & coagulari vi conſeruationis ignis & fixari, ſic quòd amplius per fumoſam aëream ſubſtantiam non aſcendat, ſed in fundo maneat fixus, & humiditate exhauſtus, putrefactus & coagulatus, in terram nigram conuerſus: & dicitur caput corui: nigrum elementum terreum, ſiccum dicitur. Tunc vera Philoſophorum ſublimatio eſt expedita: in qua exiſtũt omnes prædicti modi agendi, vt ſolutio, diſtillatio, coagulatio, putrefactio, calcinatio, fixatio, vno vaſe, vno furno, vt dictum eſt: quia quum lapis noſter eſt in vaſe ſuo, & cum aſcenderit per fumum ad caput vaſis, ſublimatio & aſcenſio dicitur: ſed cùm de alto ad infima ruit & ad fundum deſcendit, tum cauſatur diſtillatio & deſcenſio. Sed cùm lapis tunc incipit putrefieri, ex multiplici tali aſcenſione; ſic cum incipit coagulari, tunc cauſatur putrefactio & coagulatio: tandem vt calcinetur & fixetur ex defectu humiditatis aqueæ radicalis, tunc cauſatur calcinatio & fixio vno actu decoquendo ſimul & ſemel, vno vaſe, & vno furno, vt prædictum eſt. Sícque ſublimationẽ

facta, vera est separatio Elementorum. Nam, vt dicunt Philosophi, Operatio Lapidis, nihil aliud est, quàm Elementorum separatio & eorumdem coniunctio; quandoquidem in nostra sublimatione Elementum aqueum, frigidum & humidum transmutatur in terreum, siccum & calidum Elementum. Ex quibus patet, quòd separatio quatuor Elementorum in Lapide, non est vulgaris separatio, scilicet physica: quia in sublimatione nostra iam facta, perfectissimè Elementa separantur: quia in nostro Lapide solùm sunt duo Elementa formalia, scilicet terra & aqua: Terra, quæ virtualiter continet ignem in se, ratione suæ siccitatis: Aqua verò continet aërem in se, ratione humiditatis. Patet igitur quòd in nostro Lapide, duo tantùm sunt Elementa formalia, licet sint quatuor virtualiter. Non ergo fit separatio quatuor Elementorum, vt Idiotæ intelligant. In materia nostra est quoddam arcanum absconditum, cuius opus & virtus sentitur; quæ sunt terra & aqua; alia verò duo, aër & ignis; non tanguntur nec videntur, nec quicquam largiuntur: nec locus eorum videtur: nec virtus eorum: sicut in prioribus Elementis, quæ sunt terra & aqua, quoniam ignis in decoctione eorum vertit colores. Ecce, Dei gratia, habes secundum Elementum in Lapide Philosophorum, quod est terra nigra, caput corui, mater, cor & radix aliorum: super quam terram, tanquam super stipitem, omnia alia fundantur. Quod enim Elementum terreum, sic-

ſiccum multis nominetur nominibus in Philoſophorum libris (dicitur enim laton, taurus, fæx nigra, æs noſtrum, nummus noſter, ſulphur nigrum, Maſculus, vir, & aliis multis, imò infinitis nominibus nuncupatur) quocunque modo diuerſificentur nomina eius; eſt tamen vna ſola eadémque res, ab vna re ortum habens. Sic ergo per talem priuationem humiditatis, quæ in Philoſophorum ſublimatione cauſatur, factum eſt volatile fixum, & molle durum; & aqueum terreum: & ſecundum Gebrum, Mutatio de natura in naturam, vt aquæ natura in ignem. Item facta eſt mutatio complexionum, vt frigidæ & humidæ complexionis, in choleram ſiccam &c. factum eſt ſpirituale, corporeum & liquidum, ſpiſſum, & de manifeſto occultum, & è contra. Ergo intellectus Philoſophorum eſt, cùm dicunt, Operatio noſtri Lapidis, nihil eſt aliud, niſi naturarum permutatio, & Elementorum reuolutio. Nam per talem incorporationem, humidum & volatile fixum, & ſpirituale corporeum, & liquidum ſpiſſum, & aqueum igneum, & aëreum terreum, & verè permutamus naturas.

CAPVT SECVNDVM
De ſecunda præparatione.

NVnc igitur, in DEI benedictione, ad ſecundam præparationem, quæ eſt nigrorum dealbatio, tranſeundum nobis eſt ſimplici

declaratione. ℞ igitur terram nigram præfixam, quæ caput corui dicitur, & contere eam subtiliter in porphyrio mundissimo partes duas,& adde ei de parte reseruatæ aquæ Philosophicæ, quam nosti, scil. primam partem vnam per ingenium (aqua moderante, quæ spiritus vocatur) confice ergo has tres partes in vnum matrimonialiter super lapidem mundum, bene terendo, vt vniantur coniunctione per minima perfectè, in vnum chaos confusum, vt omnia reuertantur tanquam vnum corpus inseparabiliter. Postea sapienter ponas in suam phialam adaptatam: & in thorum suum repone, vt coaguletur & fixetur, & fiat vnum corpus album. Quo facto, eum rursus excipias, scilicet lapidem candidum, quem contere subtiliter in porphyrio mundissimo, & iterum cum tertia parte aquæ suæ, ipsum imbibendo, imbibes iterando, vt haustum tollat, & rursum impone in vas suũ clarum & mundum, in lectum suum temperatum & calidum, vt incipiat iterum sudare, & haustum aquæ bibitum exsiccare permittas visceribus eius : tunc reimpone ac reitera vice multiplicata, donec excellentissimum Lapidem album per hos gradus reiterationis, præparationis, fixum, stantem, per minima ingredientem corpora, velocissimè fluentem, aquæ fixæ, supra ignis pugnam tingentem ☿, & omnia corpora à perfectione diminuta, in verum argentum, melius omni naturali. Et nota quãtò, huius complemẽti ordo reiteretur pluries solutionis, coagulationis, contritionis & assationis, tantò & huius exuberantia, Medicinæ

dicinæ multiplicabitur bonitas magis ac magis. Nam quoties pertractaueris super ipsum Lapidem propriam eius bonitatem reseruatam, toties multas partes lucraueris in eius proiectione, suprà corpora à perfectione diminuta. Vt illius medicinæ pars vna primò conuertit 100 partes cuiuslibet corporis imperfecti in argentum perfectissimum; in secunda reiteratione cõuertit mille: in tertia decem millia: in quarta mille millia, & sic vsque in infinitum. Quam sapientes laudant reiterationem. Quòd si vna contritio, & vna imbibitio sufficeret, non toties verba reiterassent.

CAPVT TERTIVM
De Rege albo.

Hunc igitur Lapidem gloriosum, Regem album qui transformat & tingit ☿ & omnia imperfecta & verum lunificum conuertere volueris in Lapidem rubrum, vt fiat Elixir, & tinctura rubedinis, quæ transformat & tingit ☿ & lunã, & omne corpus in verissimum solificum, sic fac. ℞ ipsum Lapidem album, & ipsum diuide in duas partes, quarum vnam augmentabis ad Elixir album, vt prius dictum est, cum aqua sua reseruata alba & nunquam desinit esse eius tinctura & virtus. Aliam partem ponas in alium thorum philosophorum, mundum clarum & lucidum, & sic ponas in furnum suum digestionis, & conuertetur in rubicundissimum puluerem, qui apud philosophos sanguineus dicitur, & aurum purpureum, rubeus corallus, & sul-

phur rubeum; quod potes proiicere ſupra ♄ fuſum, vt praxis te docebit. Et pauperum recordere.

AXIOMATA CHEMICA.

Alchemia eſt de ſublimioribus ſcientiis, quæ vniuerſam naturam imitatur, & in quibusdam ſuperat. Natura materiam ſuppeditat, Ars verò operatur circa illam tali modo, quod natura minimè poteſt.

Natura diſpoſuit quandam materiam in ſe habentem quicquid eſt neceſſarium ad conuertenda imperfecta metalla in purum aurum, vel argentum, iuxta decoctionem materiæ & fermentationis & artificis diſpoſitionem; quod naturæ eſt impoſſibile. Tandem naturam feciſſe nihil ſine pari.

In illa autem materia ſunt maſculus & fœmina, nempe aurum & argentum, opus leue ac facile, cui altiſſimus Deus oculos mentis aperuit. Tranſmutatio eſt poſſibilis & facilis. Nam omne creſcens vel naſcens multiplicatur in ſua ſpecie, vt homines, arbores, grana & huiuſmodi.

Nam ex vno grano mille generantur. Ita ex primo Adamo vniuerſus mundus occupatus eſt. Ergo poſſibile eſt res augeri vſque in infinitum.

Dicunt Philoſophi Lapidem conſtare corpore, anima & ſpiritu. Etenim corpus imperfectum compararunt corpori perfecto; & aquã ſpi-

ſpiritum dixerunt,& verè ſpiritus eſt, quia corpori per ſe mortuo vitam tribuit, quam prius non habebat,&in meliorem formam producit. Nam in noſtro magiſterio, primò facimus de groſſo,gracile.i.de corpore Spiritum, de humido ſiccum,de aqua terram, & ſic naturas conuertimus, & facimus ſuperius inferius; quod fit, quum ſpiritus efficitur corpus, & è conuerſo corpus fit ſpiritus.

Lapis noſter fit ex vna ſola re,& in vno Vaſe. Nam totum magiſterium fit, cum aqua noſtra, & ex ea & per eam. Ipſa enim corpora in cinerem reducit & dealbat.

Azot (ait Morienus) & ignis latonem abluunt:laton enim eſt corpus immundum. Azot verò argentum viuum, i. Aqua ſecreta noſtra, Aqua noſtra,eſt ignis noſter & quinta eſſentia, ſiue forma materiæ noſtræ. Materia eſt principium perpeſſionis; forma verò, actionis. Proinde quò quid formalius eſt, eò efficacius. Et quò quid materialius, eò ad agendum ineptius. Atqui incorporeæ formæ nihil eſt tam ſimile, quàm ſpiritus: Non eſt igitur mirum, ſi Spiritus mole paruus, maximus ſit viribus. Hinc Angeli, vt ſunt immateraliores, ita efficaciores. Quemadmodum magnum vegetabile, præ cæteris, iſto ſpiritu, ſiue quinta Eſſentia abundat. Pari modo noſtrum Chaos minerale, formâ omnium mineralium & metallorum.

Forma ſic à Chao chemico elicita, tantis viribus prædita eſt, vt ſtatim au-

rum, argentum, coralla, margaritas ſoluat, ſicut glacies in aqua ſoluitur: imo tantæ eſt virtutis vt humidum radicale, quò, veluti flamma ſeuo, optimè conſeruatur. Eo etenim Raymundus vtebatur: & cùm à Sarracenis occiſus fuit, erat annorum centum & quinquaginta, & apparebat iuuenis. Eò verò ſpiritu ſingulis diebus vtebatur, vt humidum radicale conſeruaretur.

Aros Philoſophus ait, aqua ſiue ſpiritus Lapidis eſt totus in toto: & id totum quod quæritur & quod cogitatur. In ipſo enim eſt fugiens & fixum, tingens & tinctum, album & rubeum, maſculus & fœmina ſimul compoſita, compoſitione inſeparabili: Lullius inquit, ſpiritus ſecretus eſt aqua ſecunda, ex qua res omnis accipit nutrimentum, & omne germen, vegetationem, & omne lumen, illuminationem.

Hæc aqua ſecum portat vitam, lumen, & ſpiritum: quare autem aquam ſecundā vocet, quam alij philoſophi oleum dixerunt; ratio eſt, quia ſecūdo loco extrahitur poſt ſpiritum videlicet. Oleum iſtud nihil aliud eſt, quàm humidum radicale metallorum, purum & incombuſtibile; in quo eſſentia & forma metallica potiſſimū conſiſtit. Et niſi totum compoſitum aqua fiat puluis, non erit fuſibilis, nec ingreſſum habebit. Totum fit aqua per ſe mediocri, & continuo humido calore.

Scias profectò, quod elementa non diuiduntur in lapide noſtro ſecundùm ſubſtantiam, ſed benè ſecundum virtutem; quoniam aliquod purum elementum & ſimplex non conſpicitur, niſi in ſphæra tantum. Scias igitur, niſi ſublimaueris

ueris corpus quo vſque fiat aqua,&aqua in toto non putrefiat, non poterit congelari,niſi per ignem. Nam ignis commixtionem noſtri Lapidis congelat.

Soluimus corpora, vt caliditas adhæreat profunditatibus eorum : & ſic ſolus ignis mutat aquam & terram a ſuis naturis & coloribus. Noui hominem, qui tribus ſimplicibus ignem conſtruere æqualem poteſt,&annos ſeptem,ſine vlla additione materiæ durat: tibi omnino ad artem neceſſarius eſt.

Tali igitur igne in noſtro opere indigemus, eo etenim opus integrum perficitur. Aqua noſtra eſt vas noſtrum; eſt ignis noſter; eſt Mercurius viuus, eſt argentum viuum philoſophorum. Materia verò principalis omnium Metallorum in ſuis mineris,ex qua ipſa generantur & cauſantur,eſt aqua ſicca, quam aquam viuam, vel argentum viuum nominamus. Aliâs,ſpiritus fœtens,quem ſulphur appellamus. Non tamen in natura ſua prout ſunt in mineris ſuis procreata,quia in locis ſuis,vbi generantur,nullum metallum inuenitur. Sed potius materia iſta eſt quædam ſubſtantia naturaliter à natura creata,habens in ſe naturam &ſubſtantiam iſtorum duorum.Et ex tali materia generatur quædam ſubſtantia ſubtilis,fumoſa in viſceribus terræ, & venis mineralibus, vbi congregatur & detinetur. Illa verò prima materia à qua fumoſa prædicta materia generatur & exit, eſt quoddam corpus,& illa fumoſa ab ea generata, eſt quidam ſpiritus: & ſic natura facit de corpore ſpiritum, & aſcendere de terra incœlum. i.

rem corporalem ſpiritualem facit. Quædam ſubſtantia vel materia propria argenti viui & ſulphurum, fumoſa & ſubtiliſſima, ex natura prædictorum duorum, per noſtrum artificium generata limpidiſſima clara, tanquam lachryma, in qua latet & habitat ſpiritus quintæ Eſſentiæ. Quidam dicunt, quod ex ſolo argento viuo, ſine admiſtione ſulphurũ, Lapis elicitur, vel generatur: & rectè loquuntur, & artem intelligunt: quandoquidem in diſtillatione ſulphur aſcendit, & miſcetur cum argento viuo: & in putrefactione, aqua fit rubra & tingit, & modico calore denſatur, & terra iterum fit oleum, & oleum inde Alcohol &c.

Notandum quòd Philoſophi dicunt, iſtud argentum viuum & ſulphur, ſuper quod fundat Natura ſuam actionem & operationem, eſſe argentum viuum & ſulphur productum ad aliquam naturam aqueam ſubtiliſſimam, quam Philoſophi vocant argentum viuum. Eſt Lapis vnus, vna medicina, in qua totum magiſterium conſiſtit: & eſt agens mouens ipſam ad corruptionem, ſcilicet calor, qui eſt inſtrumentum mouens materiam ad corruptionem, & non eſt aliud agens in mundo. Huius famoſæ ſcientiæ radicalia fundamenta ſeu principia, ſupra quæ ipſa fundatur, ſunt iſta, quædam ſcilicet materia vel ſubſtantia propria argenti viui & ſulphuris, per magiſterium noſtrum generata, limpidiſſima & clara tanquam lachryma, in qua latet ſpiritus quintæ eſſentiæ.

Omne Indiuiduum multiplicat formam ſuæ ſpeciei & non alterius. Et ideò ſoluta prima cor-

corporis forma, per Elementationem conuersam in argentum viuum, est in calore subnigro, in odore fœtido, & in tactu subtili & discontinuato.

In tali materia simplici insunt quatuor Elementa composita separabilia & resolubilia in aquam argenti viui post putrefactionem. Ergo aqua Mercurialis est prima materia omnium metallorum, & cum ea soluimus omnia metalla, quæ in alia solui non possunt. Et si metalla non soluerentur in primam eorum materiam, per istam aquam mercurialem, non fieret id quod quæritur.

Humiditas efficit, vt omnia dignoscantur. Vnde in arte solùm duo Elementa formalia videntur & tanguntur sic: aqua & terra, cùm virtualiter sint quatuor, scilicet: Aër in aqua, & ignis in terra.

Cum hoc argento viuo qualitates sulphuris sunt commixtæ per digestionem, & ideò est alteratum, sicut natura requirit, per suum calorem sui ipsius, per conuersionem suæ naturæ, est conuersum & congelatum in sulphur. Tu potes sentire per naturam, quòd nulla alia humiditas conuertetur magis propriè & promptè in substantiam, quàm qualitates sui sulphuris per artificium; quæ humiditas est argentum viuum in forma aquæ claræ, sicut lac in mammillis, & sulphur sicut sperma in testibus. Quare ergo notifico, quod materia huius non est argentum viuum commune, cum tota sua substantia.

Videmus omnia generari Mercurio viuo generante quo ipſe genitus fuit. Verbi gratia, Homo genitus fuit à Patre, mediante ſpermate, genuit is alium filium, mediante ſpermate, & ſic de aliis. Ergo natura Mercurialis eſt qua paſcimur & nutrimur: ſine ipſo námque non eſt vita animalium nec plantarum tum vitæ & exiſtentiæ rerum Vniuerſarum. SPIRITVS autem dicitur mineralis virtus, in qua natura metallorum quieſcit. At ſpiritus tingens eſt Mercurius Philoſophorum cum ſuo ſulphure albo vel rubeo, naturaliter ſibi commixto in ipſa minera, & terræ viſceribus mediocriter præparato, artificis arbitrio relicto, vſque ad perfectionem & conſumptionem perfectam.

Aliud argentum uiuum, eſt tinctura permanens, & id à corporibus perfectis extrahitur, per diſtillationem diſſolutionem ſublimationem & ſubtiliationem. Et tale argẽtum dicitur incombuſtibile, anima, aër & ſplẽdor corporum, quia corporibus metallicis mortuis & imperfectis vitam dat. Extrahe igitur argentum viuum, ſeu Lapidem philoſophorum, tam à corporibus, quàm à viuo argento, quoniam ſunt vnius naturæ, & habebis mercurium & ſulphur de illa materia ſuper terram, de qua Aurum & argentum generantur in terra.

Quicquid veritatis conſiſtit in arte Chemica, eſt iungere ſeu coniungere humidum ſicco. Et hoc ab omnibus philoſophis conceditur. Pro humido intellige ſpiritum, ſiquidem ab omni ſorde mundatum: & pro ſicco, corpus perfectum, purum, calcinatum. Et reuera iſtarum duarum

duarum partium operatio consistit in dissolutione & coagulatione. Dissoluere est, corpus in naturam spiritus, conuertere: At coagulare est Spiritum corporalem efficere, vt fixum fiat volatile, & volatile fixum. Sic obtinebis magisterium: caue etiam diligenter ne misceas aquam Mercurialem impuram cum corpore mundo; sic enim Azot. i. aqua Mercurialis & ignis latonem. i. terram nigram abluunt, & mundificant. Nam præparatio terræ semper est cum aqua. Nõ ergo te tædeat repetitionis, contritionis & Assationis prolixitas; est enim actio naturalis, quæ suum habet motum & tempus determinatum: ita vt quædam in minori terminentur, quædã verò in maiori, quia in purificatione terræ, non potest esse tempus determinatum, nisi secundum quod artifex bene laborat. Et dicit Philosophus, quòd corporis quarta pars diminuitur apud eius decoctionem, & nos experti sumus verum id esse, & in impositione imbibitionis terræ nigræ cum Mercurio debet precaueri de fractione vasis. Vnde debet notari quod aqua sit calida, & debet etiam materia. i. terra calida esse, & manu vas agitari debet subitò, aliâs materia lateribus vasis ad hærebit, donec materia & totũ fiat, sicut lutum turbidum. Et tunc vitrum debet sigillari, & poni inter cineres calidos, ad exsiccandum, donec fiat puluis siccus, & tempus cuiuslibet imbibitionis ad exsiccandum est xxv, vel, xxx dierum naturalium.

Iam cum terram exsiccatam habes, pone super ipsam de Mercurio sextam, vel septimam

partem vt soluatur: & sigilla vitrum Hermeticè, & super lēto calore in cineribus exsicca & congela, & istam congelationem & solutionem quater reitera, & manebit hæc terra fixa & lucida nigra in fractura, & proiecta supra corpora alterat in suo calore & non Mercurium. Album & rubeum ex vna radice, nulla re alterius generis interueniente pullulat. *Si* vis Elementa Mineralia accipere, ne accipias de primis, nec de vltimis, sed de mediis, ad creandum Lapidem. Habita materia per se soluitur in suo appropriato vase & igne humido. Ita nihil terræ conspicitur, imò totum factum est aqua clara, & iterum aqua illa continuo calore fit terra. Terra verò in oleum vertitur: oleum verò fit puluis incombustibilis & fusibilis, & hoc vno solo regimine, & dicitur opus mulierum, & ludus puerorum.


DE FERMENTATIONE

Ex perfecto nihil fit, quia iam perfectum est, habemus exemplum, panis fermentatus & coctus, est perfectus in suo statu, & ad vltimum suum finem peruenit, nec eo plus poteris fermentare: sic est in auro; album & rubeum ex vna radice, nulla re alia alterius generis interueniente, procedunt. Recipiamus ergo illam materiam, vnde erit aurum, & mediante artificio deducitur in verum fermentum philosophorū. Ergo ne misceas aquam albam cum rubea, & è conuerso aquam rubeam cum alba.

Album tamen rubeum ex vna radice nullo alio interueniente: meritò Lapis noster à Philosophis

ſophis dicitur omnis res, quia habet in ſe, & ex ſeſe omnem rem neceſſariam ad ſui perfectionem: & quocunque modo nominetur, ſemper eſt vna & ſola res. Pone in vaſe & firmiter claude, quo vſque totum compleueris magiſterium: quod amplius eſt, à malo eſt. Totum ergo reſiduum ad artis occultationem ponitur. Ideò cùm videris aquam congelare ſeipſam, tunc ratus eſto ſcientiam eſſe veram. Idcirco, ſi calorẽ benè menſuraueris, aqua & ignis tibi ſufficiunt. Nec oportet in toto regimine alia re vti, niſi aqua iſta permanente. Manutene hanc aquam cum ſuis operibus, quoniam facit album, & rubeum; & ad rubeum effectus eius conſiſtit in regimine ignis &c. Finis Axiomatum: quanquam varia omiſſimus, ne prolixiores videremur.

Hæc interim humane Lector perſcrutare & meditare: alibi maiora (Deo volente) & plura lucidioráque. Tu interim fœliciter vale, & noſtris conatibus faue. Yuerduni.





NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO, DOMINO NICOLAO MAIO ELECTORIS BRANDEBVRGICI A CONSILIIS ET PRÆFEctura &c. summo Philosopho, rerúmque abditarum inuestigatori solertissimo, Domino, & amico plurimum obseruando, BERNARDVS P. à PORTV S. Mariæ AQVITANVS omnem felicitatem precatur.

ETSI, vir Nobilißime simul & Doctißime, te nunquam de facie nouerim, tamen tuis literis ad me PRAGA mißis, cognoui quantus sis in literis. Et vt magis ac magis Philosophico studio operam impenderes, tu vitæ Aulicæ pertæsus, bona cum gratia, ad studia & Musas rediisti. Ita nunc

priuatus & procul ab omni Aularum strepitu remotus, DEO imprimis, tibi, & bonis viuere conaris, semper illud iam tibi, occinens, Aula vale; satis est, quod me tua cura fatiget. Viuere priuatîm me iuuat, Aula vale. &c. *Sed (ais) in literis tuis ad me: Obrumpo, ob festinantem tabellionem, qui has rectè se tibi traditurum promisit, teque oro, vt cum in Dialogo inter Naturam, & Filium, Naturæ opera publicæ vtilitatis promiseris, DEO volente, daturum, præsertim Tractatum de Aquis tingentibus, alterum de mercurialibus, quibus metalla in Mercurium currẽtem subitò mutari poßint: expectationi bonorum satis-*

satisfacias? Nondum enim abs te hoc præstitum est. At causæ forsan non sunt contemnendæ, quæ ab hoc instituto te hactenus impediuerint. Sed rogo te, vt Tractatum de Mercurialibus legendum, & cognoscendum mihi exhibeas, siue publicè, siue priuatim: ego vicissim, quæ de coniunctione, & proportione Mercurij, tum debita, mecum habeo, haud inuitus communicabo: imò vtilitatem ex tuis scriptis, si quam percepero, ad te tanquam Dominum suum, redire iubebo. Rectè putas, Maij Doctißime, varia intercesserunt negotia, quæ recensere longum esset. Ab eo enim tempore, quo literas tuas amoris, & beneuolentiæ plenas, acceperim, gestiebat meus

animus te videre, sæpiusque te cõuenissem, ni dißiti interuallo locorum essemus: quantùm Bohemia ab Heluetia distet, benè nosti. Inficias non ibo, plures graues viros doctos, tum ex Istria, Pomerania, Gallia, Anglia ad me venisse, conferendi ergò, quos meis sumptibus benignè dimittere soleo. Hoc tandem expertus sum.

Præbet amicorum nil præter copia damnum.

At ego in obscuro, procul a puluere Academico, procul a ciuitatibus, dego tamen cum hominibus pacificis, eiusdem religionis, qui quid præstem, non curant, modò sim illis auxilio in tempore. Ita quid Francofurti, aut alibi excuditur, aut agitur, prorsus mihi ignotum:

gnotum: sic ſcriptum Doctoris Nicolai Guiberti Lotharingi, quod tamen integrum non legi, me latebat. At hortatu amici Enoci, ſummi philoſophi, hanc prouinciam reſpondendi, paucis, accepi. Tibi verò de aquis Mercurialibus, partimque tingentibus, Tractatulum talem, quem in noſtris peregrinationibus, & vetuſtiſsimis codicibus reperi, partim quoque pretio emimus, propriis manibus aliquid tractauimus, Tibique, quicquid ſit, gratis dedico, offero, & adſcribo. Multa enim de induſtria omiſimus, quæ fidis amicis reſeruamus: nefas exiſtimans, abdita artis Prophanis, & impoſtoribus enucleare. Tu verò, Doctiſſime Maj, noſtris lucubrationi-

bus fruere, & fœliciter Vale. Yuerduni, quæ ciuitas est Magnificorum Dominorum Bernatum: Kal. Ianuarij. 1608.

DE



DE MERCURIO,
Ad beneuolum Lectorem, præfatio non ſpernenda.



INUM ſemel congelatum, & denuò reſolutum, nunquã habet tantam vim & virtutem, quantam habet vinum nunquam congelatum; nam cõgelatione ſua amittit ſpiritum ſuum igneum, & reſolutione ſua, nouum contrahit humorem aqueum. Propoſitũ autem eſt Philoſophis Mercurium ab aqueo humore corrumpente mũdare; & non aqueum humorẽ corrumpentem in eo augere. Mercurius ergò congelatus ſemel in corpore metallico, poſtea reſolutus, nunquam talem habet virtu-

tem, qualem Mercurius congelatus habet. Et ſi corpus aliquod metallicum reducitur in Mercurium, iſte Mercurius arte ex metallo factus, & non ſecundum naturam generatus, artificialis quidem Mercurius eſt, & non naturalis. Ars autem nulli rei vitam, & virtutem conferre poteſt; ſed tantum apparentiam, & formam externam. Iam artificiale aliquod commiſceatur cum naturali, nulla erit eorum vera, vel naturalis commixtio; cum perpetua eorum ſit, in ſubſtantiali forma, diſiunctio: & per conſequens etiam nulla erit naturalis, aut ſubſtantialis generatio. Si autem Mercurius fuerit in primam materiam reductus, tum omnia metalla ex ſe generata, naturali ordine, & modo, in naturam eorum primam reducit, & ſic naturalem Mercurium corporum, virtute na-

turali, & non violenta aliqua artificiali, generat. Natura enim naturam generat, & natura naturam soluit. Et tum si iste Mercurius corporum, cum naturali Mercurio incorporeo iũgitur, tum ferè Natura cum Natura sua, & species cum sua specie miscetur, & vnitur naturaliter; & sequitur effectus naturalis indubitãter. Naturaliter enim Natura similis, in natura sua simili, actionẽ, & operationem habet perpetuam: & non in diuersa specie; multo minus in diuerso genere. Quo enim est maior rerum diuersitas, eò minor earum est vnitas. Natura disponit omnia in potentia, quatenus ars ea potest, & debet perficere in actu. Natura verò disponit materiam habẽtem omnium metallorum formam; & vltra non operatur, circa ipsam; & vbi Natura desinit, Ars operari incipit, & per-

ficit. Primò Mercurium, siue quintã essentiã eruit, quæ Philosophorũ Argentum viuum insignitur, & non Naturæ, sicut filius dicitur patris. Non est, vt refricem, quæ scripsimus in Dialogo inter Naturam, & Philosophiæ Filium; eò Lectorem relegamus. Redeamus ad orationem nostram: nempe de Mercurio naturali, & artificiali. Mercurius nihil aliud est, quàm spiritus mundi corporeus, in ventre terræ factus; qui a se recipit facultates omnes, tam Animales, quàm Vegetabiles, & Minerales, sicuti aliqua Cera, quæ recipit in se omnium formarum impressionẽ. Sic Mercurius omnium rerum recipit in se proprietatẽ. Oportet, vt exaltetur a terra; purgetur ab omni terrestreitate sua: tunc ascendit in aërem totus, qui vertitur in spiritum; sic adimpletur dictum Philosophi: A-

ſcendit de terra in cælum, & ſic accipit vim ſuperiorum, & inferiorũ; ſicq; Naturam terreſtrem immundam exuit, & Naturã cæleſtem induit, in qua mundis gaudet, & immũda omnia horret. Et hæc eſt via metallica particularis: vt dilucidius in ſequentibus, DEO concedente, pertractabimus, cum de Argento viuo dicemus. Quandoquidem Arg. viu. à Mercurio differt pluſquam vinum ab aqua. NOTA, omnia ſalia totius mundi, ſiue Metallorum, ſiue Vegetabilium, ſiue creſcentium rerum, ſi debito tempore, putreficentur, & poſtea vino diſtillato rectificato imbibantur, vertuntur in Mercurium. Eſt etiam alius modus, quo ex quibuſdã herbis, breui tempore, Mercurius currens, poteſt, abſque ſumptibus elici. De hoc alibi fuſius. *Rerum omnium in Mercurius reductio.*

DE Mercurio corporali agendũ

eſt. Cum hoc diſceptatum fuit circa finem noſtri libelli inter Naturam, & Filium Naturæ: Vtrũ Mercurius arte, ex corporib. perfectis extractus, ſuo corpori, aut Mercurio vulgi commixtus, verã Philoſophicam det coniunctionem, ad generationem lapidis ſufficiẽtem; ſicut quorundam eſt firma opinio. Reſponſũ fuit: Nõ minus corporũ Mercurius efficiet, cum ſuis corporibus, quàm ſperma viri, quod extra ſuum corpus nihil generat: quoniam non eſt ſeminatum in locum ſibi à Natura paratum, præſertim cum locus conſeruat, & generat locatum. Ita etiam ſimile non agit in ſuum ſimile, vt ignis in aquam &c. Vide propoſitiones, & reſponſiones, circa finem Dialogi. Ibi enim extractionem Mercurij Auri, cum ſua hiſtoria, videbis: eò enim recurre.

Tunc

Tunc Pragæ eram, cum summus quidam princeps serenissimus, isti studio admodum intentus, secum Eduardum kelleium Anglum habebat, in Chemicis versatissimum. Princeps ad illum (inquit) Num Eduarde, Mercuriũ Auri arte elicere posses? Maximè possum (ait) fuso Auro, foramen vsque ad centrum molis fecit, in quo puluerem album inclusit,&in vase fictili adaptauit,& circunfuso spiritu vini, ignẽ admouit; excalefacta mole, fere omne aurum in Mercurium currentem fuit conuersum., Quod cum princeps animaduertisset, putauit se tenere Anguillam, Ast qui tenet eam per caudam, non tenet illam. Existimabat serenissimus ille, omne Magisterium in auri Mercurio delitescere. Quare variis Alchemistis Mercurium illum tractandum di-

ſtribuit. Præ manibus D.D. Hage-tij Thadæi vidi, qui nũquam amalgamari, nec Auro coniungi denuò potuit. Coacti artifices opus omittere, & Principi reſtituere. Idcirco artem in his laboribus & expenſis conſtituere, nefas exiſtimo. At fortè dicet aliquis: Cur tu nobis hoc opus, & onus de aquis Mercurialibus imponis, ſi ad artem nihil præſtant? Alij amãt panem album, alij verò veſci pane atro. Hæc Ars eſt tam locuples in rimandis abditis naturæ; vt quicquid deſideratur, ars largiatur perito artifici. Ego verò hunc Tractatum in lucem emiſi, vt artis poſſibilitatem patefacerem, & curioſorum hominum cupiditatibus ſatisfacerem. Vale.



TRACTATVS AQVARVM MERCVRIALIVM *sequitur.*

POne in diuersa vasa vitrea, collum habentia longa, & in vno quoque vase ℥iiij. Mercurij bene loti, & mũdati cum sale præp. & aceto distillato. Tunc vasa, charta, aut bombace obturata, pone in fimum equinum. Tua igitur vasa ita immorentur in fimo, donec totus Mercurius soluatur, & vt faciliùs fiat, muta fimum singulis septimanis; & postquam remanserit in putrefactione per mensem; liquorem effunde in cucurbitam vitream, cum suo alembico, supra ignẽ lentum diu, ne Mercurius ascendat, & aqua parum distillabit, quam supra fæces effundere oportet, & adhuc per mensem reponendum in fimum putrefaciendum. Huiusmodi operationes tandiu sunt repetendæ, donec totus Mercurius in aquam sit resolutus. Multiplicabitur hæc Mercurialis aqua, si proieceris supra crudum Mercurium lotum & mundum, & sic aquam cum Mercurio tenebis in fimo, per mensem, donec omnino aqua soluerit Mercurium in aquam, & cum quantitatem sufficientem habueris, rectificabis, vt sequitur.

Aquæ Mercurialis rectificatio.

Fac, moderato calore, tuam aquam distillare

caue, ne fæces adurantur: Aquam verò distillatã supra fæces repone, ut Mercurij sulphure, aqua acuatur: à combustione caue; aliter opus peribit. Quãdo aquam supra fæces posuisti, vas obtura, & colloca in fimum calidum octiduum, post distilla, vt supra fecisti; septies repetendo opus. Tunc habebis aquam Mercurialem mirabilem, rectificatam; omnium corporum solutiuam. Prædicta aqua multiplicari potest in infinitum, cum Mercurio communi: At eius multiplicatio fit melius cum imperfectis corporibus, interque nos, IOVEM capimus, quandoquidem est facilioris solutionis: & maioris virtutis: Mars etiam præstantior: &c.

Accipe, in nomine DEI, Aquæ Mercurialis ℔iiij, rectificatæ, & in ea dissolue libram vnam IOVIS calcinati, vel limati, qui si promptè dissolui non potest, ponatur octiduum in fimum calidum, vel amplius, donec sit solutus, post distillationem distilla, donec fæces remanserint siccæ, quas accipe, & tere, supra marmor, & aquam iterum affunde supra fæces; Putrefac in fimo equino, vt superius fecisti, & hoc tandiu, donec fæces non amplius præstent aquam, post vltimam distillationem, fæces, & aquam ad partem, ad partem seruabis, & iterum rectificentur. Et ex fæcibus salem, & tartarum Philosophorum poteris creare.

AQVÆ MERCVRIALIS *secunda rectificatio.*

AQVA illa Mercurialis præparata magnam acuitatem habet, ratione sulphuris IOVIS cu-

cuius Spiritus reductus est in aquam: præterea non omittendum est, aquam iterum septies rectificare. Tunc est facta ardens, & comburens, vt in Mundo nihil supra.

DE PHILOSOPHORVM TARtaro, eorumque Tartari oleo.

Fæces aquæ Mercurialis accipe; quas supra marmor minutissimè tere, & iterum in cucurbitam vitream, & desuper tantum aquæ Mercurialis; fac distillare paruo calore: fæces accipe, quas reuerbera horis 24. igne temperato, & aquam reitera desuper, opusque septies, vel donec niuis albedinem superent, fusibilesque sint. Tunc verum Philosophorum tartarum habebis; quem subtilissimè tere, & supra marmor, in locum frigidum, & humidum collocabis, vt in oleum soluatur. Isto etenim oleo, omnium corporum calces solues in Mercurium currentem. Quamquam non negabo Martem præparatum, vt supra, præstantiorem esse, maiorisque virtutis; quandoquidem vera terra Philosophorum insignitur, & nuncupatur, circa quam argentum viuum seminatur, congelatur, & fixatur; & omnes spiritus retinet & fixat; quod cum cæteris imperfectis corporibus fieri nequit. Tartarus imperfectorum corporum, vt supra, præparatus, nihil aliud est, quàm purum sulphur corporum.

Alia Aquæ Mercurialis rectificatio.

Duo etenim sunt modi, Aquas Mercuriales

rectificandi: quorum primus nihil aliud est, quam aquam Mercurialem acuere, & aquam augere, quod fit sæpius redistillando, vt superius est dictum. Rectificatio secunda è contrario se habet; quoniam ardoris, eiusque violentiæ est diminutio, propter reiteratam distillationem, in qua eius venenum amittit, quod in eius incremento acquisiuit. Attamen ipsa Mercurialis aqua in rectificatione, miram assequitur dulcedinem, visque eius augetur. Hæc autem Aqua, in Pellicanum inditur, & in fimo equino sepelitur calido, & relinquitur tandiu, donec nihil amplius ascendat, & omnes fumositates deposuerit: quo facto, per inclinationem, in aliud vas effunde, ne fæces turbentur. Tunc habes veram Philosophorum aquam Mercurialem. Quæ, si ex Marte esset conflata, verum Philosophorum Cœlum esset dicta, omnium planetarum susceptibile. Vt enim eam perfectionem ad vltimum gradum restituas, superest ipsam animare; quod facilè facies, vt sequitur. Calcina Lunam fulminatam Mercurio vulgi, ℥ j. & pone in ℥ iiij. Aquæ Mercurialis supra dictæ, & hoc totum sepelias in fimum equinum calidum, donec tota Luna sit dissoluta. Quo facto, distilla Aquam Mercurialem; & fœces accipe, & supra Marmor tere, parum suæ aquæ irrorando, & fortiter miscendo, & iterum illud totum cum sua aqua in fimùm repone putrefiendum; & hoc tandiu reitera, donec Luna omnis transeat, excepta crassa terra, quam non oportet extrahere. Quippe verus Philosophorum tartarus est albus, cuius oleum eò modo fit; vt oleum Iouis superius

superius descriptum: & nota, quòd omne oleum tartari eo modo factum, dealbat, & mirabiliter fixat, sistitque omnes Spiritus, vimque admirabilem in se habet.

Postquam verò Aqua tua ita præparata est, nondum tamen bene est animata: at potest ad summam deducj perfectionem, faciendo, vt sequitur. SOLVE decem denarios auri purissimi; & sequere integram Methodum, vt fecisti de Luna, & ascendat per rostrum alembici, vt argentum fecit; & fæces, quæ remanent, vocantur SAL rubeus auri: quem, si noueris dissoluere cum ℥ iiij. aquæ supradictæ, repetendo cohopando, fixabis, & simul congelabis; quod Philosophorum legibus, amplius detegendum non est. Igitur operatori perspicacj relinquo. Hanc aquam Philosophi celarunt variis Ænigmatibus, & nominibus, ne ab indignis raperetur: Vim corpora dissoluendi, & in primam materiam oleum, & Mercurium currentem reducendi, habet; iuxta artificis captum. Ista Aqua fit puri ab impuro, & spiritus ab aqua segregatio: Secretum tene, & in corde abde. DEVM time, eiúsque præcepta sequere.

Mercurialis Aqua altera.

Liquefac ℔ j. IOVIS. i. stamnj puri, quod nunquam fuerit in opere, & tantum Mercurij lotj; cum sale, & aceto, vt artis est. Fac amalgama. Insuper accipe ℔. ij. optimj Mercurij sublimatj; & cum amalgamate misce, supra marmor terendo; pone ad sublimandum, repete ter; semper miscendo fæces, cum quo sublimatum est: vltimò tere in subtilissimum puluer-

rem; quem in locum frigidum, & humidum
pone dissoluendum, soluetúrque in aquam
claram, quam accipe cum fœcibus, quæ reman-
serunt supra marmor: fac totum distillare, i-
gne graduum, vt fieri solet in aqua forti; & quod
distillatum est, serua ad partem; fæces, quas re-
peries, erunt trium colorum, albæ, scilicet, su-
blimatæ, griseæ in medio, nigræ in imò, nul-
lius momenti.

Albas & griseas seu leucopheas accipe, quas
triturabis, & in locum humidum & frigidum
colloca, ad dissoluendum, & quod dissolutum
est, cum fæcibus distilla simul, instar aquæ for-
tis: quod pone cũ priore. Hæc tantisper reitera,
donec omnia sint in aquam redacta. Si hanc a-
quam septies volueris distillare, seu rectificare,
tantæ acredinis & virtutis erit, vt subitò lima-
turam cuiusque metalli; vel calcem, in aquam
claram conuertat:

Alia Mercurialis Aqua, qua Mercurius omnis a corporibus exeritur,

Sublima septies Mercurium communem, cum
sale communi ter præparato, & vitriolo calcina-
to ana: sublima, vt artis est. At vnaquaque subli-
matione facta, nouum solem, & vitriolum ad-
de, & supra marmor tere, & irrora aceto; distil-
lato postea septies; sublima, renouando salem,
& vitriolum: finita septima sublimatiõe, dissol-
ue tuum sublimatum in aqua forti, facta ex alu-
mine, & salepetræo tantum. Tunc fac, paruo i-
gne, distillare: postea auge ignem, donec Mer-
curius sublimetur, & quod sublimatũ est, acci-
pe. & fortiter tere, & in eadem aqua iterum sol-
uatur

natur; distilla vt antea fecisti, & repete; & de tertia in tertiã distillationem, renoua aquam tuam fortẽ, & qualibet distillatione proiice fæces nigras, & tamdiu hoc repete, donec amplius non dabit nigras fæces. Imo totum manebit fixissimum, & permanens: vt Olomotij apud Petrum Wincium fecimus, & vidimus.

Alio modo.

Accipe sublimatum subtilissimè tritum, & in vas vitreum, vndiquaque luto munitum, pone: & sic in Athanore octo dierum spatio dimitte; & gradibus ignis rege, & de duobus in duos dies auge. Deinde tuam materiam puluerisa, eamque in. B. M. dissolue, vel in fimo equino calido; & cum dissoluta fuerit in aquam limpidam, fac distillare in B. M. aut alio simili calore; & hoc septies. Tunc habebis aquam, cui non est par: præcipuè, si post illas distillationes, posueris in ea, ℥ij. salis Tartari, septies aqua vitæ irrorati in ℔. j. aquæ Mercurialis. Et vt excellentior, & acutior fiat, sublima septies sal Armoniacum, sale communi, & sale petræ ana. Tunc accipe de illo sale Armon. sublimato ℥vj. sex supra libram vnam illius aquæ Mercurialis, & cum dissolutum fuerit, sæpius distilla: tunc erit tantæ fortitudinis, vt nullum vas eam sustinere valebit, præter Christallinũ. Istâ etenim aquâ, Metalla quæque subito in Mercurium currentem vertuntur. Ad soluendum calces imperfectorum, & Lunæ, non opus est Sale Armoniaco. Satis fortis est aqua Mercurialis per se, absque illo sale.

At verò pro Auri Mercurij extractione, o-

pus habes illo sale Armoniaco sublimato. Et cum volueris perfecta, vel imperfecta in Mercurium reducere; Calcina Metalla, cum Mercurio vulgi. Hæc autem calcinatio est cæteris præstantior.

Pone igitur calcem alicuius metalli in vitrum Matrassium dictum: effunde desuper de tua aqua, vt superet calcem duos digitos: sepeli vas in fimum calidum, vel cineres tepidos, paulò post in imo vasis conspicies granula, instar margaritarum: qui Argentum viuum est illius metalli, cuius calcem posuisti. Eò etenim modo omnium corporum calcem reduces in Mercurium cohopando septies aquam supra calcem, reiterando distillationem, & fæces supra marmor terendo, addendo prima vice quartam partem salis tartari præparati cum aqua vitæ. Insuper effunde aquam communem bullientem, desuper mouendo baculo, dictam calcem, donec fœces reuiuificentur in Mercurium.

Alia Mercurialis Aqua.

Sublima septies Mercurium sale communi, & vitriolo, vt ars docet: puluerisa, & in locum frigidum supra marmor collocabis, & in aquam breui soluetur. qua, absque alia præparatione, calces, vel limaturæ omnium metallorum, in Mercurium resoluuntur. Quem, si secundo sublimaueris, cum sale armoniaco, perficies dictam sublimationem cum ambobus, id est, sublimando Armoniacum, & ex his aquam feceris, vt dictum est, reducet statim in Calcem omne metallum sine distillatione. Quod si vis pluries distillare, superabit, & melior erit &c.

Aqua

Aqua Salis Armoniaci.

Fac ter, vel quater Armoniacum sublimare: sale communi præparatum. Vltimo puluerisa, & solui permitte, supra marmor. Filtra, vt clara euadat, per chartam. Tunc soluet corporum calces, in aquam, supra cineres, vel fimum, ponendo sextam, vel septimam partem aquæ fortis communis. Ad hoc faciendum, non opus est distillatione, tandem si distillaretur pluries, aptior, & melior euaderet.

Alia Mercurialis Aqua.

Mercurium crudum accipe, & aqua ablue bene, postea sale communi præp. & aceto distillato, fricando: deinde aqua communi calida lana, & exsicca: postea ℞ IOVEM, quem purga per calcem viuam: vt scis liquefac; quo fuso, amoue ab igne, & Mercurium proijce desuper, mouendo optimè, donec incorporetur, & Amalgama durum fiat. Tere bene super porfidiū: deinde aqua dulci laua tamdiu, donec clara, & limpida exeat. Nam prima lotio erit nigra. Exsicca ad solem, vel alium tepidum calorem; custodi. Tunc ℞ de Mercurio septies sublimato, quantum Amalgamatis, tere, & simul misce. Accipe cucurbitam fortem, quæ ignem ferre possit, cum longo collo. Tunc dictam mixturam pone intus, adapta supra cineres calidos, in furno, & gradatim rege ignem. Et cum materia strepitum ediderit, & fumus eruperit, cooperi vas, aliquo linteo. Auge ignem fortem, & intelliges materiam facere bu, bu, bu. Tunc depone vitrum ab igne, & frangendo, reperies materiam duram, quam con-

tere, & pone supra marmor, in locum frigidum, & statim guttabit aquam nigram, & quod remanet insolutum distilla ter; & fæces remanebunt in fundo, quasi nigræ, & supra fæces redde suam aquam ter, vel quater; & aquam serua, & in hac aqua, quodcunque Metallum imposueris, soluetur, sicut butyrum, & cera, & Sol reducetur in materiam primam. Estque Aqua Mercurialis ad artem.

His fruere, & Vale.

In sequenti Tractatu varia, & vera, probata, non solum ab his, quorum artem teneo, verùm etiam a me, maiori ex parte, probata: Fas existimaui, ante obitum nostrum, in lucem dare, quæ comperta habemus, & certa. Varia etenim, post occasum nostrum inuenientur, præsertim vetustissimi codices manuscripti, de Lapide Philosophorum, nondum excusi. Cuperem ipse, vt citius excuderentur, ne ab indignis extorqueantur, & pro ipsis vendicent, aut venales circumferant. At iam senio confectus, vbi virtus illa vegetatiua, cæteræque potentiæ me deseruerunt; quod superest, langor, & horror habet. Quæ tamen istic depinguntur, perpende, cogita; & DEVS Mysteriorum author, maiora suppeditabit, modò illi obtemperes. Vale.

AQVA

AQVA TINGENS MIRABILIS, qua Luna, etiam Aurum, tinctura permanente, tingitur, variaque operatur. Abditum tene.

Accipe vnam partem ſalis armoniaci, & duas partes calcis viuæ; tere ſimul, & infunde in aquam communem calidam; ſine, vt in olla ad ignem bulliat, poſtea filtra bene, ter quaterue, vt aqua omninò clareſcat, ſine fæcibus; poſtea coagula, vt ſal remaneat: hunc ſalem permitte fluere in tigillo, per quartam horæ partem; tunc effunde in mortarium calidum, tere, vel funde, tum adhuc confuſum, pone in cellam ad ſoluendum, intra paucos dies ſoluetur in oleum clarũ: quod dicitur oleum fixum ſalis armoniaci. Huius olei accipe vnam partẽ, & Mercurij ſepties ſublimati à vitriolo, & ſale cõmuni, & ſale petræ, & ſemel per ſe, donec fæces omnes depoſuerit: duas partes tere, & pone in dictũ oleũ ſalis armoniaci; ſtent in cinerib. calidis, donec omnis ſublimatus ſolutus fuerit. Tũc pumicem contuſum accipe, & pone in dictam ſolutionem, vt pumex ebibat omnem humiditatem, & fiat tanquam lutum ſiccum, ex quo globuli poſſint effingi. Hos impone cucurbitæ amplæ, pone etiam alambicum optimè lutatum, & in cineribus ſeu arena diſtilla, igni primò lento; exhibit aqua dulcis; continuo ignem gradatim miniſtrando, donec guttæ aceſcant. Tunc aliud vas recipiens appone, & igni fortiori pelle, & proueniet Mercurij eſſentia ſubtilis & acris. Hanc aliquoties rectifica in B.M. & ſerua. Iam

℞ therebintinam venetam, & acetum distillatum misce: distilla in B. M. prodibit spiritus therebintinæ albus, & clarus. Tunc in Cineribus pelle, proueniet oleum flauum. Vrge tandem fortius; & sequetur aqua acida subrufa: hanc separa ab oleo per tritorium, & serua, postquam rectificaueris. ℞ Aurum repurgatiss. q. v. solutum in oleo salis, vel aqua Regis: Aquam per alambicum extrahe: Calcem, per aquam communem bene aliquoties ablue: postea calx auri igni imposita, excandescat, & in prædicto menstruo terebintinato, extinguatur: idque sæpius reiteretur. Tunc huius partem vnam, & florum sulphuris per se sublimatorum, duas partes tere bene vnà & reuerbera per 12. horas leui flamma: tunc denuò extingue in menstruo prædicto aliquoties: Iterum reuerbera cum floribus sulphuris, vt prius, idque vt Aurũ excandescat in puluerem rubicundum & impalpabilem. ℞ huius solis partem vnam, & essentiæ Mercurialis prædictæ, partes sex: pone in vitro sigillato in fimum equinum, vel. B. M. per mensem, vel septem septimanas; & Sol soluetur in liquorem rubicundissimum sanguinis instar, & fæces albas relinquet. Hanc dissolutionem recipe, & in B. M. menstruum abstrahe, donec liquor spissus, ruber, ad nigredinem vergẽs, maneat; qui statim in aëre coagulabitur, & in calore leui, aut candelæ soluitur: Hinc affunde therebintinæ spiritum, abstrahe eundem; & nouum affunde, & abstrahe. Hic omnem corrosiuitatem aufert. Tandem affunde spiritum vini, & digere vnà & distrahe, donec nihil de spiritu

ritu therebintinæ amplius adſit. Tūc ſerua. Coagulatur enim in aëre, inſtar ſeui, quando ſpiritus vini abſtractus fuerit. Hoc coagulatum, in quouis liquore, in vino, in aqua Cinnamoni ſolui poteſt.

Prædicta eſſentia Mercurij omnia metalla reverberata ſoluit: etiam crocum martis. Multa alia, quæ perito artifici inueſtiganda, relinquimus.

Mercurius Vitæ, ab amico ſingulari acceptus.

℞ Stibij mineralis optimè triti ℔. ß Mercurij ſepties ſublimati ℔. j tere optimè, & miſce; & totum hoc in retortam vitream, bono luto munitam, pone ad ignem primò lētum, & gradatim auge, donec tota diſtillatio abſoluta ſit. In recipiente reperies materiam craſſam, quam accipe, & ſupra laminam, vel marmor in cellam, vel locum frigidum colloca diſſoluendum, quod fiet, & ſoluetur in oleum. Accipe, & pone in paruam non eminentem cucurbitam, cum ſuo alembico, ſuper cineres calidos, & liquor quidam clarus aſcendet: & augendo ignem, egredietur oleum inter rubrum, & citrinum: poſtea reitera diſtillationem in alio alembico, ad ſeparandum phlegma ab oleo, lentè: & oleum remanebit in fundo vaſis, rubrum, nobis neceſſarium. Hoc abſoluto, fac vitriolum veneris, vel extrahe tincturam viridis æris aceto diſtillato, euapora, & calcina ad rubedinem: terè ſubtiliter vnà cum folijs auri puriſſimi ana, terendo imbibe oleo prædicto, donec

inſpiſſetur mellis inſtar, deinde pone tuam materiam in vas vitreum ſublimatorium cum alembico benè clauſo, paulatim ignem augendo,& materia ſublimabitur chriſtalli inſtar. Si multiplicare cupis, ℞ de &c.

Iſtius pulueris vires ſunt maximæ. Febribus cunctis medetur;Lepræ,Hydropi,taceo de cæris,& de vehiculo, doſibus quoque,propter æmulos inſurgentes in me,taceo.

Penotus

ILLV-



ILLVSTRISSIMO HEROI, ET PRINCIPVM POTENTISSIMO, REIP. CHRISTIANÆ BONO NATO, FRIDERICO, DVCI WIRTEMBERGENSI, MONTISpelicardi Comiti; Domino a Blamon, & Francamont superiori, vnico, sacri Rom. Imperij Principi Fortissimo.



ETVS illud est: Princeps Fortissime, Multa pretiosa videri, quæ sint Templis consecrata. Quod cum ita sit, non sum veritus, varia opuscula magnis Principibus dedicare. Annis quidem præteritis, Sereniss. Principi Electori Palatino, de Vera Præparatione, & vsu medicamentorum Chimico-

rum unum: alterum Illustrißimo Principi, Christiano Anhaltino, de Sale Nitro, & viribus Auri Potabilis inscripsi, &c. Qui Tractatus serena admodum frõte excepti fuerunt, sicuti res ipsa docuit. Verùm cùm hunc Isaaci Hollandi Tractatum de Claue, seu Lapide Philosophorum, publicum facere decreuissem, Tu imprimis Fortiß. Princeps, occurristi, qui non solùm Marti litas, sed etiam Mineruæ sacra facis, dum optimarum artium studia, omni conatu, promoues. Inter hæc, cum Chymia non postremum locum obtineat, hunc libellum, qui præcipua tantæ scientiæ capita explicat T. C. ingratum non fore, mihi planè persuadeo. Tibi igitur

eum

eum inſcribendum cenſui; vt hac inſcriptione patrocinium apud te accipiat, & tui nominis ſplendore illuſtretur. Habuit, ante aliquot annos, Germania Illuſtres Heroas, qui & Spagirica delectati ſunt, & eius Profeſſores fouerunt, inter quos, veluti ſol inter ſydera, emicuit ſanctæ memoriæ Fridericus III. *Princeps Elector Palatinus. Is Heidelbergæ aliquando (qua fuit ſumma eius humanitas) me familiariter, ſed remotis arbitris, percontatus eſt, & quænam de ipſo eſſet hominum opinio, quinam ſermones? candidè reſpondi, Pleroſque, imò omnes, ipſius admirari, & ſuſpicere virtutes; eſſe tamen his moleſtum, quòd in perquirendo Lapi-*

*de maiorem redituum ſuorum partẽ dilapidaret. Excepit Princeps Clemẽtiſsimus; Probatur mihi tuus cãdor (*PORTE*). At diuerſa ſunt hominum ingenia. Hic amoribus dat operam: alter aleæ: plurimi venatione delectantur: atque in his, quid non expenditur? Vides quot canes, quot venatores, quot equites ad venationem mihi alere, quibus ſumptibus hos, quibus ſtipẽdiis illos retinere conueniat? Ad quid verò? vt perdicem vnã, vnum leporem, vnum ceruum capiant. Quæ omnia tamen vili ære comparare poteram. Venatione oblectamur, ſed magis nos delectat Chimia. Itaque, cum, repetitis vicibus, Conſiliarij mei ab illa, propter ſumptus, me de-*

hor-

hortantur, illis ſoleo reſpondere, plus me venatione, vno cane alendo, expendere, quàm in operariis Chimicis quatuor. Quandoquidem quæ vno anno, in rimandis Alchimiæ ſecretis, confero, ſummam centum Renanorum florenorum non excedant. Nec verò iſta arte cupio ditari: ſed per eam (cum naturæ ſit imitatrix) Naturæ in rerum varietate ludentis conſideratione, animum oblectare. Quod etiam plures Reges feciſſe, ipſæ hiſtoriæ teſtantur. Hoſce, Heros Illuſtriſsimus, ſermones mecum ſerebat: Ex quibus quanti fecerit Spagiricam, facilè intelligitur. Fuit autem Princeps magni Iudicij, Germanorũ decus, Patriæ orna-

mentũ, Christianæ religionis lumẽ, quem & bonorum omniũ fautorẽ fuisse fatẽtur omnes. Illum, quum terris Fata inuiderint, Tu vnus relictus es, qui adyta artis Chimiæ nõ leui pede ingressus, omnia ipsius Mysteria probè noueris, & impostores, ac sophistas à Philosophicis, & verè Spagiricis poßis secernere. Ac Philosophus & Philosophor Fautorũ, & gratißimus Mecœnas, ditiõestuas bees. Verè enim hoc dictum est, Respub. tum fore fœlices, cum aut Regesphilosophabuntur, aut regnabunt Philosophi. Cùm igitur hic Tractatus Isaaci de Lapide Philosophiæ, seu de Claue artis, in nostras manus inciderit, mihi seruandum nefas existimaui, cùm eius Author non

sina

ſim. Cœpi tandem ipſius opera excuſa reuoluere, an interea hic Tractatus contineretur, animaduerti huius ſeculi plures aliorum opera ſepelire, & ſibipſis vendicare. Talibus occurrere volui, & C. T. accedere. Cùm n. heroicum tuum animum perſpectum habeam, æquitatis & veritatis in omnibus constantem eſſe amatorem, Tibi gratum eſſe, opto, meque, cum omnibus meis ſtudiis, qualibuſcumque officiis, offero. Iſtud autem ſi leuidenſe munus, grato vultu dignabitur T. C. excipere, maiora in poſterum, eaque digniora, me oblaturum polliceor. Interea Deum. Opt. Max. ſupplex oro, vt T. C. cum Heroica Illuſtriſs. Coniuge diu ſoſpitet, ad

Nominis ſui gloriam, ſuæque Eccleſiæ ſplendorem: Amen. Yuerduni, quæ vrbs eſt ſubditione florentiſsimæ Bernatum Reip. Calendis Ianuar. 1608.

Tuæ Celſitudini obſequentiſsimus, Bernardus Penotus à Portu S. Mariæ Aquitan. V. M. D.

IOHAN-



IOHANNIS ISAACI HOLLANDI,

DE TRIBVS ORDINIBVS ELIxiris: & Lapidis Theoria.

Præfatio.



Oc loco decretum eſt, totum operis progreſſum tibi aperire, & omne opus, quod in arte faciendum eſt, quale ſit, oſtendere: nec non docere, quare ſingulæ operationes ſint inuentæ: & quidnam in ordinibus, & pleriſque aliis Alchimiæ operibus, & tribus illis generibus, vt Minerali, Animali & Vegetabili, primùm ſit faciendum. Etenim ſciẽdum eſt, eum, qui, antequam incipiat operari, ſingula opera non intelligit: & quid primum in arte ſit, quid ſecundum, quid tertium, & ita deinceps, donec opus ad finem ſit perductum, quoque ordine ſingula ſe mutuò conſequi debent, ignorat, nihil vnquam in arte operæpretium facturum: Ne ſi in æternum operetur, poterit quidem, caſu aliquo, ad artem peruenire aliquam; vt cæcus fortuitò ſcopum feriat, ſed certam artem adipiſci; & aut, quod ſemel fecerit, iterum, ac tertiò facere, nunquam poterit: vt imperitis ſæpenumero accidit, qui hac ratione

operam & oleum perdunt & in desperationem incidunt, quod primum erat, in vltimo facientes, ibique opus relinquentes; vbi erat incipiendum. Porrò, ad errores istos euitandos, docebo te, quid sit sublimatio, & quare adinuenta, & quomodo, in vno quoque opere, sit sublimandum. Deinde quomodo, & quare calcinandum: & ita deinceps de distillatione, quamobrem ea fieri debeat: multaque id genus alia, quæ in singulis operationibus sunt animaduertenda.

Ergo cùm Veteres metallorum generationem, ortumque, & incrementum intelligerent nec non vnde procederent, eorum morbis, quibus, quo minus Soles, & Lunæ fierent, impediebantur: Cœperunt cogitare, de ratione, morbos eos, ac defectus auferendi, eaque in Solem, aut Lunam perducendi. Quam ad rem nulla est ijs visa via compendiosior, quàm vt corpora igne destruerent, ac calcinarent: atque ita materiam quandam in ijs inuenerunt, quæ ea conseruabat, ne vel ignis vi, vel à suo proprio sulphure combustibili, quo abundant, comburerentur. Hæc materia Clauis erat, cuius accipiebant duas, aut tres partes, ad vnam corporis, durumque corpus in subtilem limaturam redigebant, & Saturnum, Martem, aut Venerem, Iouem, fusos in cineres, mouendo, reducebant: ac tum vnà cum Claui, & aceto miscebant: sicque in vasis terreis ritè lutatis, in igne collocabant, calcinando, relicto, in dictis vasis, forami-

Clauis Artis est ✱ communis.

foramine exiguo aperto, per quod humiditas posset euaporari; qua euaporata, obstructo foramine, ignem per gradus augebant, donec paulatim inciperent ignescere, cumque obscurum ignitionis gradum, quo Clauis non funderetur, ad 24. horas continuabant: tum vasis per se refrigeratis, exemptæ materiæ, aquam feruentem effundebant: vt Clauis solueretur: quàm deinde aqua communi abluebant. Corpora verò calcinata, ad impalpabilitatem, suprà marmor trita, aqua communi, ab omnibus suis impuritatibus, & nigredine, abluebant: ita vt calces rubri corporis, essent splendidæ, ac albæ, etiam claræ, & instar niuis albæ: atque hæc erat veterum imperfecta metalla, à fæcibus suis & combustibili nigredine, & fœtenti fumo, quem in minera contraxerant, repurgandi ratio. Cum autem ea in corpus reducta viderent, nec in Solem nec in Lunam esse conuersa: cœperunt cogitare, quanam medicina, aut qua materia, fieri posset, & quo modo tinctura inueniri, quæ in purgata metallorum corpora ingressum haberet: cumque, omnium Salium, aut Aluminum speciebus perlustratis, nihil in iis inuenirent, quod Metalla in Solem, aut Lunam posset conuertere, aut tingere, aut in iis ingredi: intellexerunt tandem non alibi illud Arcanum latêre, quàm in Spiritibus, qui metalla essent ingressurj, seseque cum ijs permixturi. Verùm ex his magnas animaduerterunt difficultates: quod,

Clauis artis aqua communi facilè soluitur.

In spiritibus totius artis Chimia arcanum latere.

perſpecta dictorum ſpirituum natura, viderent eos, æquè atque Metalla, morbis in Minera cõtractis, eſſe obnoxios, fœtentibuſque ſcilicet, ac terreſtribus fœcibus, ac combuſtibili ſulphure abundare, quibus periculum eſſet, ne & metalla comburerentur, & impuriora redderentur. Ad hæc, ineſſe dictis ſpiritibus, veneni quoddam genus, vſque eò corroſiuum, & volatile, vt ſi cum Metallis coniungerentur, non tantùm ea venenoſa, corroſiua, & frangibilia eſſent redditura, vt inſtar vitri rumpi poſſent: verùm etiam, cum funderentur, in fumum auolarent, & meliorem metalli partem ſecum aufferent, ita vt id in nihilum redigeretur. Itaque ſpeculatione ſua, Veteres vlterius progreſſi, cogitarunt, quemadmodum ſpiritus ab hiſce omnib. morbis poſſent liberare, eoſque ita prærarare, vt & in corpora ingrederentur ea, quæ pulchra, & clara, & in æternum cum his permanenti tinctura tingerent, & nihilominus dulcia, & malleabilia permanerent: ſicque in Solis, & Lunæ naturam perducerentur. Hanc ad rem, tribus potiſſimùm opus eſſe, intellexerunt, nempe vaſis ad eam rem aptis; materiâ, qua cum ſpiritus miſcerentur, & eo, quod & materia expellerent, atque in ſublimè cogerent venenoſiſſimam, ac fugaciſſimam ſpirituum partẽ: quà primum expulſa, eam proximè vrgerent, quæ media eſt, & ad artem noſtram accommodata, retentis in fundo à materia, cum qua ſpiritus miſcerentur. craſſis, ac terreſtribus eorum partibus, quæ ingreſſum impedirent, vnà cum ſulphure albo combuſtibili. Sic non potuerunt quicquam

com-

compendiosius inuenire, quo spiritus à morbis suis, & impuritatibus liberarent, quàm sublimationem; quæ idcirco secundum à calcinatione locum, in arte nostra obtinet. Porrò enarratis, inuentæ primùm calcinationis, ac sublimationis causis, sequitur, vt ostendamus in vno quoque opere quomodo sit calcinandum, & sublimandum. Et primum quidem dicendum est, de calcinatione spirituum, & corporum: deinde de corporum cum spiritibus iniunctione, per imbibitionem, ac incerationem, & quamobrem primùm fuerit adinuenta; vt verum Alchimiæ fundamentum intelligas. Iam ad institutum.

Sublimatio necessaria.

MAiores nostri, purgato spiritu, ac corpore; cùm vtriq; in se ingressum dare mutuò molirentur, viderunt id non aliter fieri posse, quàm si vel spiritum, vel corpus in aquam soluerent; & corpore spiritum, vel spiritu corpus imbiberent, vel vtrumque seorsum soluerent, & solutas aquas deinde commiscerent: quod quidem postremum, cum ad congregationem, commixtionemque faciendam omnium commodissimum esse intelligerent; toti in hoc fuerunt, quomodo & spiritus, & corpora in aquam redigerent: quod fieri non poterat, nisi prius Clauis naturam essent adepti; ad quam Clauis, seu Salis naturam, cùm non nisi igne, ac calcinatione reduci possent: primò furnum ad id aptum excogitarunt, in quo spiritus, absque euolatione, possent calcinare, quem furnum Physicorum vocarunt. Deinde vasa ad spiritum calci-

nationem apta, quæ aperta esse necesse erat, vt ignem reciperent eundem, & apertum, ad ea, in salis naturam, vt solui posset, redigenda: quod in vase, atque igne clauso, nunquam fieri potuisset. Tertiò iustum ignis gradum, ad spiritus, absque euolatione, calcinandos, inuenerunt. Quibus omnibus ritè adinuentis, & obseruatis, spiritus in furno, vaseque ad id apto, posuerunt ac per 40. dies ac noctes naturales, in iusto ignis gradu continuato, reliquerunt, & per se refrigerari siuerunt. Deinde super marmor ad impalpabilitatem triuerunt; quo facto, super laminis vitreis, aut marmore aliquantulum inclinato, subiecto catino, vase vitreo, in loco humido posuerunt, ad soluendum in aquam claram, ac limpidam, quam in vitro forti, ritè obstructo, ad vsum seruarunt; & siquid fæcũ, in re solutione, esset relictum, id super marmor non dissolutum manebat.

Spirituum calcinatio, & solutio.

Iã verò explicata calcinatione, sublimatione, & solutione spirituum; restat, vt de corporum calcinatione seu reuerberatione, ac solutione tractemus. Inuentus est igitur primùm, à Veteribus, furnus, ad corpora calcinãda, seu reuerberanda, vt salis naturam adipiscerentur, idoneus, quem reuerberatorium appellarunt: nec non & vasa terrea, & iustos ignis gradus, quo corpora non funderentur, nec in vnum confluerent. Itaque corpora à fæcibus suis, & combustibilj sulphure repurgata, terreis vasculis imposita, in reuerberationem, per XXI. dies ac noctes collocarunt calcinanda, lenta ignitione, vt, absque fusione, ad salis naturam perducerentur.

Quo

Quo facto,ea ſuper marmor,cum aceto diſtillato, triuerunt, atque in eo aceto, in aquam claram ſoluerunt; interioribus fæcibus in fundo relictis, & claro per inclinationem effuſo. Deinde cum corpora rurſum coagulanda, ſibi, intelligerent,ſi ſimplicem aquam eſſent habituri, ad ſpiritus, & corpora in ſuo fundo coniungenda,ac permanentes colligenda: Acetum ſicco calore euaporarunt,ſiccúmque puluerem inuenerunt, quem poſtquam ſubtili ignitione, abſque fuſione, calefeciſſent, exiſtimauerunt, in aquam communem rurſus eſſe ſoluendum. Sed cum magnam fæcum quantitatem, tam in aqua,quàm in aceto inuenirent,ad eas per diſtillationem,ab iis ſeparandas, idonea vaſa excogitarunt: ſicque primùm inuenta eſt diſtillatio, per aquam, aqua communi à fecibus ſuis ſeparata. In ea dictum puluerem ſoluerunt in aquam valde claram, & limpidam, quam in vitreis vaſis, ad vſum itidem ſeruarunt. Iam verò corporibus, ac ſpiritibus in duas aquas ſimplices redactis, de iuſta vtriuſque quantitate cogitantes, intellexerunt, in coniunctione, plus aquæ corporis, quàm ſpiritus eſſe ſumendum: Vnam alioqui ſpiritus partem, cum vna corporis mixtam, igne adiuncto, in fumum eſſe abituras,optimamque corporis partem,ſpiritum ſecum elaturum. Itaque cum vna aquæ ſpiritus parte, duas aquæ corporis miſcuerunt, atque in vaſe vitreo,ſuper cineres calidos,in puluerem congelarunt; ex quo, ad fundendum,ſi igni admouerentur,cum metuerent ne ſpiritus auolantes, corpus ſolum in tigilli fundo, relinque-

rent, necessariò inueniendam sibi rationem viderunt, qua spiritus cum corporibus ita firmiter colligarent, vt nulla ignis violentia, à se mutuò possent separari: quam quidem congregationem intellexerint, nulla alia re fieri posse, quàm ipso igne ita lento, vt spiritus paulatim assuescentes, tandem in eo fixi permanerent.

Fixatio

Progressus primi ordinis.



Inuento igitur vitro huius formæ cui spiritus, & corpora includerent, furnoque fixatorio, iustoque igne, per gradus, paulatim augendo, dum vehementiorem ignem ferre valeant, id opus, fixationem appellauerunt. Qua perfecta, materiam suam fuderunt, eamque in veram Lunam videntes conuersam, magnoperè sunt gauisi: totumque hunc progressum primi ordinis, vocauerunt, eò quòd a veteribus physicis, primus esset inuentus. Sed cum Methodum istam, propter corporum, & spirituum calcinationes, sublimationes, solutiones, purgationes & fixationes, valde prolixam esse viderent, & non satis fructuosam: quod post omnes istos labores præter perfectũ metallum, nempe Solem, vel Lunam, pro instituti operis ratione, nihil haberent: cùm, in quam, ista animaduerterent, & tum viderent metallum, spirituum beneficio, posse viuificari, & in eum statum perduci, vt quoduis examen valeat sustinêre: de inuenienda & compendiosiori, & fructuosiori via, cogitare cœperunt. quâ non esset necesse corpora cum spiritib. miscere: eaque simul fixanda, ponere. Qua de re, sic

sunt

ſunt ratiocinati. Si ſpirituûm coniūctione, corpora mortua viuificauimus, quid, ſi viuum corpus calcinantes, atque in puram, & ſimplicem aquam redigentes, ſublimatos ſpiritus terræ foliatæ, & ſublimatæ, inceratione ea imbiberemus ſimulque fixaremus; & fixata ſuper corpus mortuum, purgatum, proijceremus, & aliquandiu in fluxu teneremus, videremuſque quomodo ſibi mutuò permiſcerentur, & quid tandem ex his eſſet euaſurum? Ergò, cum hoc toto progreſſu obſeruato, viderent, facta proiectione, maſſam ſuam eſſe frangibilem, rationem eius rei indagantes, intellexerunt, materiam ſpirituum cum viuo corpore fixatorum, fortiorem eſſe, quàm vt metallum mortuum repurgatum, eam poſſet ferre. Itaque fuſa rurſum maſſa illa frangibili, ei bonam adhuc metalli mortui repurgati quantitatem admiſcuerũt: vnde cùm maſſam ſuam, non quidem ita frangibilem, vt, ante, ſed tamen nondum malleabilem, viderent, cognouerunt, crebra metalli mortui appoſitione, refuſioneque, tandem malleo ductibilem euaſuram. Quod re ipſa verum eſſe comperientes, metallumque imperfectum, ea ratione, in verum Solem, aut Lunam tranſmutari, id opus ſecundi ordinis vocauerunt: eò quòd iam prædictâ medicinâ, ſuper corpora mortua metallica purificata, proiectione faciebant.

Opus ſecũdi ordinis.

Porrò cum ſpiritibus ſubiectis, tum viuis corporibus fixatis, proiectionem, ſuper purgata Metalla, fœlici ſucceſſu, fieri viderent: vlterius progrediendum rati, in perquirenda ratione, mortua corpora, abſque vlla prærogatione,

in Solem, & Lunam perducenda; tandiu ſudauerunt; donec tandem intellexerunt, eam ad rē, & medicina ſubtiliori opus eſſe, & corpora mortua viuificari debere, antequam Medicina ſuper ea proiiceretur. Ergò prædictam ſecundi ordinis medicinam, in forti aceto diſtillato ſoluerunt, & poſtea congelarunt: congelataque, in pluuiali aqua diſtillata, ſoluerunt, ac rurſum tertiam partem ſublimatorum ſpirituum aquæ admiſcuerunt, exſiccantes, terentes, & iterum ſiccantes donec ſpiritus totum corpus imbibiſſent, quo facto ad fixationem ſunt progreſſi: quâ breui tempore perfecta, medicinam rurſus ſoluerunt: eique, iuxta proportionem, tertiam ſpirituum partem adiunxerunt, fixaruntque, vt prius. Quibus omnibus ritè peractis, eandem medicinam rurſus in aceto ſoluerunt diſtillato, ſolutamque, per aceti euaporationem, congelarunt. Atque ita ſuper cruda, & non purgata corpora mortua, prius tamen fuſa, & viuificata, eam proiecerunt, quæ, poſt ſufficientem fluxum, effuſa, inuenerunt in perfectum Solem, aut Lunam, quoduis examen ſuſtinentem, conuerſa: atque hanc proiectionem, magno interuallo, illam ſecundi ordinis, ſuperare. Qua de re multum admirati, & gauiſi; hoc opus tertij ordinis appellarunt. Cæterum proiectionis huius tam ſublimis & auguſtæ rationem inquirentes, intellexerunt medicinæ ſubtilitatem, eius rei cauſam eſſe: ex quo iudicio, atque ſententia, omnium Medicinarum multiplicatio deinceps fuit inuenta: vnde & iſtam medicinæ ſu-

Opus Tertij ordinis

næ ſu-

næ ſubtilitatem, multiplicationem vocarunt, eò quòd quantò illa reddebatur ſubtilior, tantò ſublimior eſſet eius proiectio. Poſt abſolutam mortuorum Metallorum in Solem, vel Lunam tranſmutationem, quæſiuerũt in arte, medicinæ beneficio, in ſpiritibus nõ idem poſſe fieri. Quam ad rem, vt ſpiritus coniungi & vniri cum medicina poſſent, & per conſequens, in Solem, vel Lunam mutari, imprimis neceſſarium iudicarunt, ad medicinæ naturam, eos perducere, quæ ex corporibus, & ſpiritibus, ſimul igne fixatis, conſtabat: vnde ſpiritus, qui fugitiui ſunt, & volatiles, nec quicquam cum medicina habent commune, primùm erant in corpus compingendi; vt eſſet inter eos, & medicinæ naturam, conuenientia, ſiue familiaritas, ac proinde ſe mutuò poſſent complecti quum ſimilia ſimilibus delectentur. Deinde ad corporatos ſpiritus in Solem, aut Lunam perficiendos, neceſſe erat medicinam vſq; eò reddere fuſibilẽ, ſubtilẽ, & penetrantẽ, vt ſuper corporatos ſpiritus proiecta, protinus funderetur, ac penetraret, antequam, ignis calore, ſpiritus à corpore poſſent effugere: ſed medicina obtegerentur, quæ eis, non aliter, quàm oleum innataret aquæ, eoſque captiuos teneret, ne à corpore poſſent auolare, ſicque per ſpiritus, & corpus penetrans, ſimul ea fixaret, & in Solem, vel Lunam perficeret. Ergò prædictam Medicinam tandiu in aceto diſtillato ſoluerunt, atque iterum congelarunt, donec inſtar olei ſpiſſi, coagulationis expers maneret. Mercurius verò ſpiritum corporatum in crucibulo,

Acetum ſumitur pro oleo incerino.

ad ignem posuerũt, calentique, medicinam præparatam guttatim insuperfuderunt, quæ eum protinus, instar olei, operiebat. Igne deinde aucto follibus, viserunt, donec medicina cum Mercurio cõmixta, verti, ac fluere inciperet, tãdemq; ita Mercurius penetraret, & secum vniret; vt deinceps nulla ignis vi, à se mutuò possent separari, & sic effusam massã, in verum Solem, vel Lunam inuenerunt transmutatã. Qua de re, gratiis Deo actis, medicinæ suæ Elixiris nomen indiderunt.

Adhæc, cùm Philosophi viderent, hisce processibus, omnia corpora, & spiritus in verum Solem, aut Lunam transmutari; in arcanorum naturæ indagatione vlterius progredi cogitauerunt; quemadmodum aut quib cum rebus, medicinam conficerent quandam; quæ omnia corpora, & spiritus, æqualiter in Solem, vel Lunam transmutaret. Quam ad rem, sedulò inquirendum ipsis fuit; quid Deus in naturam infuderit, quomodo natura in rebus inferioribus dominetur, ac operetur: cuius generis vnaquæque res sit, & vnde singula genera primùm sint orta; an ex simplici existant materia, an ex composita, sicque tandem intellexerunt res omnes, ex simplici aqua ortus sui initium habuisse. Quæ quidem aqua cum esset de essentia & natura Mercurij, Deus terram suam sulphureæ naturæ, ei imposuit, quæ aquam in corpus coagularet, quæ quidem duo, cùm non possent inseparabiliter coniungi, atque in vnum conuerti, accessit tertia quædam substantia, de genere Sa-

quod

lis, quam Philoſophi vocauerunt, Sal ſapientiæ, quod quidem, quandiu rei ineſſet, nulla fieret partium ſeparatio. Ad hæc tribus iſtis, nempe Mercurio, Sulphuri & Sali, ſeu Aquæ, Igni, atq; Terræ, quib. & Aër eſt incluſus: DEVS, per mãdatum ſuum, alios tres ſubtiliſſimos immiſcuit, ſcilicet Colorẽ, Odorem, Saporem; qui mixturam illam, in eſſentia ſua, conſeruarent; neque diſſolui eam, aut corrumpi, aut in nihilum redigi paterentur, quandiu ei ineſſent; quibus ſeparatis, ſequeretur protinus compoſiti diſſolutio, & interitus. Illos autẽ tres ſpiritus quintæ eſſentiæ nomine inſigniuerunt, ſicque intellexerunt, omnes res creatas, ex compoſita iſta mixtura ortum ſuum ſumere, tam homines, quàm beſtias, aut inanimata, & inſenſibilia, vt arbores, herbas &c. Mixturam verò iſtam non eſſe in rebus omnib. æquali proportione diuiſam: quin & aliam, mixturæ huic, virtutem Deus, per mandatum ſuum, infudit, nempe vim ſeminalem, facultatemque ſimilem ſui, iuxta ſpiritum ſuum, & naturam procreandi. Cui inſuper, ex cœli, aſtrorumque, & Planetarum influentia, acceſſit, per DEI mandatum, eſſentia, incrementum, ſtatus & declinatio: per quos gradus, ſingula ad terminum ſuum perducta, in eam tandem naturam reuerterentur, ex qua primùm fuerant compoſita. Ita, vt pro cuiuſque natura, aliud alio vel citius, vel tardius, ad incrementi ſui finem, perueniret. Rurſum, quæ in ſtatu ſuo, vel longiori, vel breuiori tempore permanerent. Omnia tamen ſemel, ab initio, per medium ad finem, naturaliter contenderent. Ex hiſce omnibus, intelle-

Tria principia, Sal, Mercurius, Sulphur.

xerunt Philoſophi, nullum in DEI creaturis defectum eſſe poſſe: ſed omnia perfecta, completáque debere eſſe. Ac proinde DEVM, cum in primam ſuam eſſentiam cuncta fuerant reuerſa, ad quam ab eo ſunt creata omnia reſtauraturum, atque in ſupremas ſuas vires perducturum, vt nulla deinceps in creaturis fieri poſſit mutatio: ſcilicet, in eadem eſſentia in æternum ſint permanſura. Hanc autem rerum omnium conuerſionem, perfectionemque, abſque vlla alieni alicuius oppoſitione, diuino artificio, per ſe, & ex propria rei creatæ natura, perfectum iri: habent namque ſingulæ res creatæ propriam ſuam medicinam; vt ex ſuperioribus patet, vnde conſtat, ad rem aliquam, ad ſupremas ſuas vires, perducendam, nihil opus eſſe externi aliquid adhibere, ſcilicet ad rem aliquam perficiendam, vnam duntaxat rem requiri, tam in opere minerali, quam vegetabili, & animali. His omnibus ritè perpenſis, cœperunt bonam concipere ſpem, fore, vt ſubtili naturæ indagatione, tandem inuenirent rem aliquam, ex qua medicinam poſſent extrahere; cuius beneficio ſpiritus, & corpora, in verum Solem, aut Lunam tranſmutarentur.

Lapidis materia ERgo, de perfectæ huius medicinæ materia, cogitantes, intellexerunt, eam de Solis, vel Lunæ natura, ac genere eſſe debere; ſi ſpiritus, ac corpora in Solem vel Lunam eſſent mutatura: ſimile namque, ſui ſimile generat, equus, equum: bos, bouem: auis, auem &c.

&c. Iam verò, cùm, in rerum natura, nihil Auro perfectius, à Deo creatum, viderent: vtpotè, quod neque igne, neque vlla alia re posset destrui, Solemque, in nouissimum vsque diem, absque vlla declinatione, in statu suo esse permansurum; in Sole medicinam hanc latere, sunt arbitrati. Itaque, vt opus suum ad supremas suas vires perducerent, Lunam Soli tanquam marito, vxorem vinxerunt, ad Lapidem suum, ex vtroque eliciendum; non quod eum ab alterutro non possent elicere; sed quod naturam putarent sequendam, quodque vererentur, ne Sol, propter suam perfectionem, ad subtilitatem, cum operi esset impositus, clàm euolaret in Lunam, quæ eum non aliter, quàm vxor maritum, amore complectitur, cuiusque partes crassiores sunt, ac magis terrestres, æquali proportione admisceretur, ad subtilitatem eius moderandam; eumque, medio caloris, ac frigoris, siccitatis, atque humiditatis temperamento, retinendum. Sed neque ignorarunt Philosophi, ista duo corpora dura esse, naturamque, supremam eis manum addidisse, neque in eis amplius quicquam operari: quoniam, ad summam perfectionem, ab ea sunt deducta: quod etiam, ex vulgi, de iis corporibus, opinione, est intelligere, cui à natura datum est, vt semper optimum quodque diligat; adeoque id est excellentissimum animi naturæ donum, supremaque virtus, vt pretiosissimis rebus delectetur. Quod, tametsi ita est; tamen hæc

duo corpora non ita ſunt à natura fabricata, vt omninò deſtrui non poſſent; quandoquidem arte, atque humana induſtria, in primam ſuam naturam ſimplicem, inque aquam poſſint reduci; ac porrò, ex propria ſua natura, in meliorem tranſponi. Quam ad rem, primùm deſtruendum eſt, quidquid natura in iis eſt operata, in eumque ſtatum ſunt reducenda, in quo fuerunt, cùm primùm in iis natura cœpit operari: ſequenda, inquam, eſt natura; & quemadmodum illa, res omnes in lucem perductas, primùm ad iuſtum ſuum incrementum, tanquam manu duxit; demum in ſanitatis ſtatu, alias aliis conſeruauit, ac tandem in primam ſui materiam reduxit, ita, & in hac arte, duo iſta corpora, retrogrado ordine, per gradus ſunt tractanda, donec in primam ſui materiam ſcilicet ſimplicem, ac vniformem aquã ſint reducta; quò, cum fuerit ventum, ad ea in ſupremam ſuam perfectionem perducenda, relicto naturæ ordine; DEVS, in ſuis operibus, eſt imitandus.

Quatenus ſit ſubſequenda natura & quatenus non.

PRimum, quod neceſſe fuit ad diſſoluenda naturæ opera, dura emollire, ſicca humectare, humida exſiccare; leuia in grauem, grauia in leuem, calida in frigidam, frigida in calidam, amara in dulcem, dulcia in amaram naturam mutare. Vnde Ariſtoteles: Fac ex leui graue, & ex graui leue, ex aëre terram, ex terra, aërem, ex igne aquam, ex aqua ignem, ex dulci amarum, ex amaro dulce, & artis huius magiſterium fueris aſſequutus. Primus ergò veterum labor fuit, ad naturæ opera diſſoluenda,

nem-

nempe duo iſta corpora, quod dura eſſent, emollire, idque per opus quoddam, quod deſtructionem nominauerunt: & quod eadem corpora eſſent ſicca, humiditate eorum intus concluſa, adeoque firmiter compacta, vt nulla ignis vis in eorum partes poſſet agere, aut penetrare; proximum erat, ea humectare, & in aquam reſoluere.

Putrefactio.

Cùm autem ea corpora tam compacta, & à natura in ſe concluſa, viderent, non niſi per putrefactionem aperiri, & diſſolui poſſe; Huic operi, ſecundum in arte locum attribuerunt, cui & alia duo acceſſerunt, nempe ſolutio per diſtillationem, congelatioque, vegetabilis materiæ adiumento, quæ tamdiu fuerunt repetenda, donec in primam ſuam naturam, hoc eſt in ſimplicem aquam eſſent redacta; in qua erant, cùm primùm natura in eis cœpit operari. Atq; hactenus naturam, in horum corporum ſolutione, imitati; aliam deinceps viam quandam ſibi ineundam viderunt. Namque, cùm intelligerent DEVM, ex terrâ aquam feciſſe, ita vt terra, & aqua vnum eſſent: idem & ipſi fecerunt. Et rurſum, quemadmodum ſpiritum ex corpore extrahit, eumque repurgat igne, vt repurgatus in Cœlum feratur, corpus autem deſtruatur; itidemque in claram, & ſubtilem materiam reducatur. Ita & ipſi DEVM imitantes, duobus maximè proceſſib. materiam ſuam ſimili modo tractarunt, nempe ſublimationem, quâ ſpiritũ ex corpore extraxerunt & repurgarunt & reuerberatione ſeu calcinatione, & quæ eam ſequitur neceſſariò ſolutionẽ qua corpora ipſa à

Solutio & distillatio.

Solutione facta non amplius naturam, ſed Deum ſequi oportet.

ſuis fæcibus rectificarunt. Hiſce per ignem atque aquam abſolutis: ea Dei opera quæ nouiſſimo die futura credimus, ſunt contemplati. Nempe quandiu Deus animam in proprium ſuum corpus glorificatum ſit infuſurus, eaque tam firmo nexu colligaturus: vt poſt eam fixationem nulla deinceps in ea cadere poſſit mutatio, ſed in æternum inſeparabilia ſint permanſura. Vnde futura ſibi Dei opera imitanda viderunt, ſi Lapidem ſuum ad iſtam glorificationem vellent perducere Hîc verò cum animaduerterent ſi Lapidem ſuum in eum perfectionis gradum perducerent, in quo poſt nouiſſimum diem res omnes ſunt futuræ, nullam iam perfectionem fieri poſſe: Ita namque glorificatus, ad eum terminum perueniſſet, ad quem à Deo fuit creatus, cumque res omnes ad eam perfectionẽ fuerint perductæ, ad quam ſunt ordinatæ nulla deinceps futura eſt generatio: neque vlla inerit rebus virtus ſeminalis, quam generationis terminus erit completus: Cùm inquam iſtud animaduerterent, cœperũt cogitare quomodo Lapidi ſuo, vim ſeminalem infunderent. Itaque æqualem partem Solis vel Lunæ ſubtilem redditam, cum glorificato, purgatoque corpore congregarunt. Hanc additionem vocarunt Fermentum, ſicque perrexerunt futura Dei opera imitari, ſpiritum iuſta proportione corpori infundendo, eaque duo in diſſolubili nexu ſimul colligando. Itaque duabus operationibus, inceratione nimirum, & fixatione: quibus tandem Lapidem ſuum, omnibus ſuis numeris abſoluerunt; vt eius benefi-

cio, quidquid luberet, perficerent. Vnde, ſupra modum gauiſi, gratias Deo egerunt.

IAm res poſtulat, vt ſublimandi rationem tibi expediam, & quomodo, quaque de cauſa, & per quam materiam ſingulos ſpiritus ſublimare oporteat. Nam & in omnibus trium ordinum operibus, & in Elixire, & in Ladide requiritur ſublimatio non vnius generis: ſed, pro operum varietate, multiplex & varia. Quare neceſſe eſt ſublimationum naturam ac diuerſitatem, ritè perſpectam habere, vt ſingulis operib. ſua poſſit accommodari.

PRima igitur occurrit ſublimatio Arſenici, & Auri pigmenti, quorum vnum ad rubrum eſt, alterum ad album. Eſt & Arſenicum quoddam rubeum, vel flauum. Sunt tamen omnia de genere Auripigmenti, vel Arcenici: habet enim Arſenicum Auripigmenti naturam, in eaque conueniunt, licet colore differant: vnde vno ad album, altero ad rubeum vtimur. Eſt autem in his duobus Lapidibus, ſpiritus quidam nimis ſubtilis, qui magna induſtria ab iis ſeparandus. Is namque operis fixationem impediret, quemadmodum & eorum ſulphur conbuſtibile, opus igni admotum combureret, ac deſtrueret: vnde & illud ab iis ſeparandum: quin & materia quædam iis ineſt craſſa, terreſtris, ac fæculenta, quæ & ipſa opus corrumperet, ac medicinæ ingreſſum impediret. Porrò, adhæc omnia ſeparanda, neceſſe eſt duos iſtos Lapides, cum fæce quadam, ſeu materia, quæ fixa ſit, & ad ſe trahens, & ne ipſa ſpiritus fiat apta, commiſceri: fixa inquam, vt præfixo-

rum natura, quæ non facilè, a se diuelli patitur, id quod est volatile, cum ei est permixta: mediū spiritū, qui nobis ad opus est futurus, apud se retineat, donec subtilis, ac volatilis ille spiritus auolarit, ad se trahens, ne medius spiritus nimis altè in vase eleuetur; scilicet adsummum, ad quatuor digitorum altitudinem conscendat: vel in fæcum superficie permaneat, nihil rei ex sese dans, neque spiritus fieri apta, neque vnà cum medio spiritu ascendat: sed is simplex ac purus maneat, ne quid in opere peregrini admisceatur. Ad hæc, materiam illam, per quam dicti lapides sunt sublimandi, necesse est frigidam esse ad combustibilis sulphuris calorem compescendum, ne in sublimatione spiritus destruat abeoque tamen separetur: & siccam, vt eiusdem sulphuris pinguedinem ità temperet, & apud se retineat, ne ex fæcib. possit separari: & cum medio spiritu in altum euolare; quin & vase sublimatorio opus est, alto, & longo, vt subtilis, ac volatilis ille spiritus, caloris prorsus impatiens, in vasis summitatem possit ferri: vt ibidem frigefactus, se contineat, faciliusque à medio spiritu separetur, & igne admodum lento, vt idem ille spiritus subtilis in superiorem sublimatorij partem sit eleuatus, antequàm medius ex fœcibus emergere incipiat: vnde antequā ignis gradum adaugeat, necesse est, dempto alembico, subtilem illum spiritum eximere, ne vel vehementiori calore, super fæces, recedat; vel cum vasa aperientur, omnia simul commisceantur. Separato igitur dicto illo spiritu, ignem dato vehementiorem, ad medium spiritum, ex fæcib.

extra-

extrahendum: quo facto; id quod ſublimatum eſt, rurſum cum fæcibus ſuis miſce, & fac per omnia vt prius: hancque ſublimationem repete donec nihil amplius ſubtilium ſpirituum aſcendit: tum medium ſpiritum per ſe ſolum ponito ſublimandum, vt videas, an quid adhuc ex ſubtili ſpiritu ſit permixtum, quod ſemper eſt ſeparandum, nec non an quid ex combuſtibili ſulphure, & fæcibus in fundo ſit permanſurum. Quod ſi fiat, tam diu ſublimationem iſtam repete; donec neque vlli ſpiritus ſubtiles aſcendant amplius, neque vllæ fæces relinquantur: ſic namque habebis medium ſpiritum purum, & vt operi accommodetur, præparatum. Porrò ad Mercurij ſublimationem, neceſſe eſt, eum ante omnia præparare, cum Sale & Aceto, per quatuor aut quinque horas, in mortario ligneo, terẽdo cum piſtillo itidem ligneo: deinde aqua calida abluẽdo, & cum nouo aceto & ſale terendo, vt prius: donec vllam amplius ex ſe nigredinem reddat; ſed inſtar ſpeculi clarus & perlucidus maneat. Hoc facto, recipe ſalis communis ſemel in aqua ſoluti, & in balneo, ad retinendos ſpiritus, congelati, ℔.ij. ſalis Armoniaci ita ſublimati, vt nihil in fundo relinquatur, ℥ij. Mercurij ℔ i. Miſce omnia, & ſuper marmor ſiccum cum ☿, vſque ad inuiſibilitatem tere; pone ſublimationem in vaſe ad id apto, cum alembico, & receptaculo, igne primum per viginti quatuor horas lento. Deinde per id ſpatium fortiori: deinde ita vehementi per idem ſpatium, vt certus ſis Mercurium totum eſſe ſublimatum. Tum vaſe

per

per ſe frigefacto, Mercurium ſublimatum exime, & cum nouo ſale, vt ſuprà præparata, ſublima; eadem prorſus ratione, vt prius: Idq; ſemper nouo ſale repete, donec Mercurius ſublimatus inſtar criſtalli perluceat. Hunc Mercurium ita ſublimatum ſuper marmor in puluerem ſubtilem tere, latóque vitro, aut vaſe lapideo, impoſitum in calcinatorio ſpirituum furno, colloca, ignemque per ſex hebdomadas ſubijce: cuius gradus ſit, vt interius furni cœlum, manu tua non valeas contingere. Poſt hoc tempus exime, atque in huius modi ſacco ſuſpenſum, ſubiecto vaſe vitreo, in humida cella colloca: & totus in aquam claram & perlucidam reſoluetur, quæ Metalla omnia diſſoluit, & in extremam ſuam perfectionem perducit, & quodcúnque corpus in ea ſolueris: Metalli fæces protinus in fundum cadunt. Etenim hæc Mercurij aqua eius eſt naturæ, vt nihil ſoluat, niſi quod ſibi eſt ſimile. Quod autem ſuæ naturæ non eſt, in fundum patitur decidere. Itaque poteris ſubtili inclinatione, clarum effundere, aut abſtrahere, fæcibuſque abiectis, claram Aquam in cucurbita vitrea, cum ſuo alembico, & receptaculo ad humiditatem abſtrahendam, diſtillare, ac demum ignem augere, & Mercurius tunc in alembicum ſublimabitur, quem, ea ratione recuperabis, licet pondere aliquantulum diminutum. Poſtea Metallum tuum ex poculo exemptum, in corpus reduc, erítque metallum clarum, purum ac pulchrum, ſiue Venus, ſiue Iupiter ſiue Saturnus, ſiue Luna fuerit. Quod quidem magnum eſt in arte noſtra arcanum. Argentum

viuum

viuum verò ex alembico exceptum, iterum ſuper Marmor tere, atque in ſacco, loco humido, ſuſpende, & rurſum in claram, & perlucidam aquam ſoluetur. Quâ metalla omnia, quæcunque tandem ſint, in vnum poteris coniungere, fruſtaque Metallorum, aut partes fractas, ita connectere, vt ne fracturæ locus appareat, & ibidem tam firmiter, quàm alio loco cohereant. Sunt & aliæ in hac arte virtutes occultæ, quas certis de cauſis non deſcribo. Id tamen dico, magnum id eſſe in natura arcanum, de quo gratias age.

Libet nunc Lapidem, qui ex ſolo Sole conficitur, deſcribere, quo nullis ab hominibus, excogitari poteſt pretioſior. Scito igitur, Solis vnam eſſe naturam, vnamque ſpeciem metalli, partium expertem; ſimplex eſt, & purus & tamen vnum genus fæcum in ſe continet, occultatum, quod poteſt arte & tinctura tam alba quàm rubea, auferrj: & tametſi vnam dico Solis eſſe materiam, poteſt tamen in duas partes, & in ſpecies ſibi contrarias, ſeparari. Sol ſpecies eſt quædam metalli, à natura ita elaborata, vt nihil eo perfectius in rerum natura reperiatur, neque quicquam ad vnitatem, naturæque ſimplicitatem, propius accedat; vnde nec igne poteſt deſtrui, nec terra putrefieri, nec aëre corrumpi, ſed in æternam incorruptus, integerque manebit: Vnde vulgò fixum eſſe dicitur: non quod quicquam à natura omnino fixum ſit procreatum: ſcilicet quod Sol arte fixari poſſit, quemadmodum & alia pleraque. Neque enim Deus, hoc naturæ conceſſit, vt quicquam

Naturæ Solis deſcriptio.

ſimplicis naturæ procedat. Quod enim fixum eſt, illud eſt æternum, neque vlli mutationi, vel in peius vel in melius obnoxium: ſed in æternum naturam ſuam retinet. Sic cœlum fixum eſt, ac in æternum in ſua fixa eſſentia, ac ſimplici conſeruabitur: & DEVS, nouiſſimo die, quidquid creauit, fixum faciet; vt vno in ſtatu in perpetuum maneat. Itaque nihil à natura eſt, vſque adeò fixum, quod non arte ſolui poſſit: quemadmodum hoc libro perſpicuè docebimus. Natura ſic in Solem eſt operata, vt non poſſit vna eius pars ſublimari, & altera in fundo relinqui: neque enim in eò eſt terra, quæ non ita cum tribus elementis ſit vnita, vt cum iis vnum ſit, omnis impuritatis, ac corruptionis expers: nec non interſtitij, quo partes à ſe mutuò diſiungi poſſint. Terra æque eſt ſubtilis, atque ignis, & aër: neque inter ea, vlla intercedit corruptio, quæ partes à ſe mutuò ſeparatas teneat: vnde neceſſe eſt eas vel ſimul in fundo manere. Poteſt Sol, arte vel totus ſublimari, vel totus fixari, vt in æternum in fundo fixus maneat, neque vnquam fiat volatilis: neque poſſunt ex Sole, quemadmodum ex reliquis rebus, 4 Elementa ſeparari, quod inter ea nullum ſit intermedium quo partes eius à ſe mutuò diſiungantur vt ſupra oſtendimus.

Itaque ad pretioſiſſimũ, verumque Lapidem Philoſophorum ex Sole duntaxat conficiendum: ℞ duas Marchas puri Solis, in tenues laminas deducti, & in fruſtula conciſi: cæmenta 24. horis cæmento regali, cui aliquantulum ſulphuris & ſalis armoniacj admiſce; tum exime, *Solaris operis proceſſus.*

funde: & rursum in tenues laminas deduc: tum cæmenta per omnia, vt prius: idque ad minimum fac ter, aut quater, donec certò scias, Solem tuum ritè esse purgatum. Quem deinde solue vulgarj more, in aqua forti, ex salisp. p. 2. salis armoniacj & vitriolj ana p. 1. confecta, aut ex salpetra & vitriolo duntaxat, in qua postea sal armoniacus sit dissolutus. Solutione facta, protinus aquam communem ter quater in distillatam ei affunde, ac per mediam horam ad ignem bulliat, tum refrigeratum per duos dies quiescat, & Sol in fundo residebit, cui aqua per subtilem separata inclinationem, nouam affunde & rursum bulliat, vt prius; idque fac ter, aut quater, dum certus sis puluerem tuum à spiritib. aquæ fortis probè esse ablutum, quem deinde, aut in cinerib. calidis exsiccatum pondera, & in 2. p. diuide ad duo contraria; ex ijs instituenda sublimatio, nimirum quâ vna pulueris tui pars volatilis, ac spiritualis reddetur, & fixatio, quâ pars altera corporalis euadet, & fixa: vtráque tum in suo gradu ita subtilis, vt nihil ijs fieri possit subtilius. Quod, antequam fiat, intrinsecum eius foras est producendum, vt crassæ fæces, quæ in interiori eius parte latent, ab eo possint separarj, & subtilis Lapis ex eo componi; quod alioqui fieri non potest. Post autem fixationem, institui debet opus sublimationis, quo puluis spiritualis est reddendus, quia ante omnia aperiendum est, quod natura occlusit, ac prorsus dissoluendum, quod natura est operata. Denique puluis in eum statum reducendus quo erat, cùm natura primùm in eo cœpit operarj:

tunc enim ad Lapidem ex eo conficiendum, eſt præparatus. In altera pulueris parte, quæ corporalis ac fixa eſt reddenda, ibi primum opus aggrediendum, vbi natura deſiit, vt vnum alteri prorſus ſit contrarium. In illo enim naturæ opera ſunt diſſoluenda; in hoc verò arte ſupplendum, quod naturæ deficit. Neque enim natura vlterius ad operandum commouetur, quàm vt rem in eum ſtatum perducat, ad quem à Deo eſt ordinata. Nobis verò ibi incipiendum eſt, vbi natura deſiit, reſque ad ſuam ſummam perfectionem perducenda: ita vt intrinſecum eius, extrinſecum fiat, fæceſquè tam interiores, quàm exteriores ab éa ſeparentur, ac proinde ſubtilis fiat, ac fixa, ad Lapidem ex ea conficiendum. Quam ad rem duo iſta contraria opera requiruntur neceſſariò, vt vna Solis pars ſpiritualis fiat ac volatilis; altera corporalis ac fixa; quoniam vel totus aſcendit, vel totus in fundo fixus manet, nec vllam poſt ſe terram relinquit: vt ante docui. Et quicunqne aliam methodum quærunt, errant, nec Philoſophorum mentem aſſequuntur. Scito ergo, Solem in duo duntaxat poſſe ſeparari, albedinem nempe, & rubedinem: quarum hæc, cum adhuc in ſua craſſicie eſt, extrahitur arte, vt totus fiat albus: Illa, non niſi cum intrinſecum eius in extrinſecum eſt conuerſum, ab eo ſeparatur, vt totus ruber maneat. Sol namque in interiori ſuo, Luna eſt, & Luna Sol in interiori ſuo; ſed Luna infirma eſt, debilis & imperfecta. Vnde non facilè ex ea perfectus Lapis conficitur. Qua de re non eſt hîc tractandum, cùm in hoc opere non de Luna,

Sol in albedinem & rubedinem ſeparatur: id eſt in tincturã, & corpus albũ.

na,

na, ſed de Sole duntaxat ſit quæſtio. Ergò vt ſemel opus aggrediamur.

Proceſſus ad Solem ſpirituali ſandum.

ACcipe ſalis petræ in aridum puluerem exſiccati, & ſalis armoniacj ana, partes æquales, miſce ſimul, & rectè incorpora, ac ſecundum artem, aquã ab ijs diſtilla, receptaculo ad roſtrum alembicj, initiò non admodum ſtrictè adlutato: ne ſylueſtres, ac ventoſi ſpiritus, qui inſunt materiæ, receptaculum diſrumpant: quibus expulſis, poſtquàm aliquantum cœpit diſtillare, poteris receptaculum ad Alembici roſtrum forti luto aptare. Huius aquam habeto, ad minus ſeſquiquartam Colonienſem, quoniam magna eius quantitate tibi erit opus. In hac alteram tui pulueris partem, in cucurbita vitrea ſolue, quam cum alembico & receptorio adlutato, pone in balneo non calidiore, quàm vt manum in eo poſſis ferre. Sit autem in ſummitate alembici paruum foramen, cui in fundibulum vitreum imponatur, per quod cum erit neceſſe, aqua fortis poſſit infundi. Sic eo, quo dictum eſt, calore, noctu, diuque diſtilla, & cùm aqua fortis tantùm, non tota fuerit abſtracta; tantùm nouæ affunde, quantum erat prius, cum Sol in ea ſolueretur: & cùm rurſum inſpiſſare incipit, nouam iterum affunde, idque continua ita lentè diſtillando. Hoc fac ter, ac tertiò ad ſiccitatem vſque diſtilla, tumque balneo refrigerato receptaculum à roſtro ſepara, & cera occlude, & materiæ tuæ ex cucurbita exemptæ 3. aut 4. p. impone in vas vitreum; eique aquam

Solis ſecunda ſolutio.

communem distillatam affunde, atque in cineribus per mediam horam bulliat, tum per se refrigeratum. 24 horis quiescat, & in vitri fundo puluis residebit, à quo subtili inclinatione aquam separa, & quod adhuc est reliquum, lento igne desicca; tum aliquantùm eius pulueris super candentem Lunæ laminam proiice, & vide an fumum aliquem emittat, à quo, vt, propter summam subtilitatem, letali, tibi caue; quod si totum in fumum abeat, signum est Solem abũdè esse spiritualem redditum, ad sublimandum. Quòd si parum, vel nihil fumet, ac super candentem laminam aliquantum eius remaneat, alembico cucurbitæ imposito, adlutatoque recipiente, iterum ei aquam fortem infunde, distilla & per omnia fac, vt prius, donec totum a candenti lamina euolet. Tunc cucurbitam ex balneo exime, ac materiæ capaci vitro impositæ, aquam communem distillatione prorsus defæcatam affunde: & bulliat in cineribus per horam vnam. Ac postquàm tum per se refrigeratum, duob. diebus ac noctib. requieuerit, puluis in fundo residebit, à quo aqua per inclinationem, aut filtrationem separata, aliã aquam communem distillatam affunde, & postquàm probè moueris & miscueris, bulliat, vt prius, resideat, separa aquam, vt supra; & quater, aut quinquies reitera per omnia, vt prius; donec probè scias puluerem tuum à spiritib. aquæ fortis benè esse ablutum: quem deinde in phiala vitrea ad solem aut ignem lentum sicca, eritque ad sublimandũ præparatus, reclusus, ac spiritualis redditus, in eum statum reductus, in quo erat, cùm natura

prius

prius in eo cœpit operari; licet non in eundem gradum, quod minimè non eſt neceſſe. Nam tametſi ipſam materiam haberemus ex minera, qualẽ natura, cum in ea opus ſuum aggreditur, inuenit: non tum ex ea Lapidem poſſemus producere. Eſt ergo materia recluſa, & ſpiritualis reddita in meliori gradu, quàm quum natura eam tractandam acciperet: fuit autem perfectũ corpus, & ad ſummam ſuam perfectionem perductum, vt naturæ nihil amplius reſtaret in eo abſoluendum. Et quamuis id à nobis apertum eſt, & ſpirituale redditum, quod à natura ita erat compactum, vt cuiuis igni atque examini reſiſteret, retinet tum in ſe perfectionem & virtutem, qua, antequàm recluderetur, & ſpirituale fieret, erat præditum. Neque enim, eò quòd ſpirituale ſit ſactum, quicquam ei deceſſit, ſed acceſſit potius: & ſiquidem, niſi eſſet corpus abſque vllo vitio perfectum, quomodo fieri poſſet, vt Lapidem ex eo produceremus, qui omnia corpora mortua viuificet, impura repurget, dura emolliat, & mollia induret, quoniam omninò naturæ repugnat, rem perfectiſſimam ex re imperfecta, & impura extrahere. Vnde fallũtur, qui in rebus impuris, aut imperfectis, atque impuris metallis; lapidem quærunt. Conantur enim id ex iis extrahere, quod iis non ineſt. Quare non poteſt Lapis aliunde extrahi, quàm ex corpore omnium, quod DEVS creauit, perfectiſſimo in rerum natura, quo nullum in mundo inueniri poſſit, æquè perfectum, & quod nulla re poſſit deſtrui. Sed quò quis id magis conetur deſtruere, eò materia fiat nobi-

lior atque subtilior. Talis verò est Sol, qui propter suam simplicitatem, non, vt omnes aliæ materiæ, in plures, sed in duas duntaxat partes, rubedinem nempe, & albedinem potest separari. Quod si omninò fieri non posset, intelligeretur Solem simplicem esse; ac proinde Lapidem ex eo fieri non posse. Sol ergò in duas partes diuisibilis, vnica Lapidis est materia, nec quicquam omninò peregrinũ ei est admiscendum. Nihil autem est in rerum natura, quod Soli par sit, aut ad eius naturam accedat, eiusue sit generis, quicquid nonnulli dicant, mineralia quædam de Solis natura esse. In quo ostendunt se Solem ignorare, quòd neque in mineris, neque extra mineras quicquam sit, quod cum Sole aliquid commune habeat, aut cum eo participet. Quare etiam atque etiam vide, vt in opere Lapidis solaris omnia, quibus Solem vel soluis, vel coniungis, quàm diligentissimè ab eo separes; vt certò scias nihil peregrinum cum Lapide esse relictum; alioqui omnis tibi labor perierit. Sed quæret aliquis: an non ex Luna posset fieri Lapis? Imo verò ex omnibus rebus creatis, sed non is, qui omnia imperfecta metalla in verum Solem, aut Lunam sit transmutaturus, atque in infinitum proiectionem sit facturus. Fieri quidem potest, vt longo tempore, magnóque labore, & ex Luna Elixir, seu medicina cõficiatur, qua super Venerem, calcinatione demum, ablutionibus ac fusionibus ritè purgatam, proiectionem faciat: sed nunquam eò poterit reduci Luna, vt Medicina vel Elixir ex ea confectum, super cruda, imperfecta Metalla

Lapis Philosophicus ex sola Luna non conficitur.

possit

possit proiici; cum tandem fucus, & fraus inesse deprehendatur. Potest tamen verius ita præparari, vt medicina ex Luna confecta, in veram Lunam transmutetur. Porrò ad medicinam ex Luna producendam, ante omnia nigredine sua, & morbis esset liberanda. Est enim & illa, vt reliqua Metalla, duobus morbis obnoxia, quos antequam sustuleris, plus quàm dimidia sui ponderis pars tibi perierit. Adhæc, quia corpus est frigidum, humidum, crudum, & in minera non satis coctum, persequenda tibi essent, quod nisi longo tempore, & magnis expensis fieri posset; ac tum demùm præparata esset Luna, ad medicinam, seu Elixir, seu Lapidem ex ea conficiendum, quod propter ponderis diminutionem, tanto adhuc sumptu tantoque labore, ac tam longo tempore constaret, vt tametsi artifici omnia ex vero succederent, ac proiectio per eam fieret: tamen supputatis omnibus, ex ea re parum lucri sit rediturum. Quare expertis constat, ex nulla alia re, præpter quàm ex Sole, Solem, verum Philosophorum Lapidem esse conficiendum. Quod ita esse, tibi certò persuade. Iam verò, vt ad opus reuertamur, materiam tuam, huiusmodi cucurbitæ vitreæ satis densæ, imponito, adlutataque capaci galea, & receptaculo; ita vt spiritus, qui perquàm subtiles sunt, & lethales, nusquam possint euolare, in furno cinerum colloca; ita vt cucurbitæ vno transuerso digito duntaxat cineribus sit immersa, & tecta furni marginibus probè adlutata, vt calor intra furni spatium coercitus, tecta duntaxat furni feriat,

Morbi Lunæ.

lutamentis ſiccatis, ignem ſubijce, primò lentum, deinde per gradus paulò fortiorem, vt materia ſublimari incipiat, quod exiguo igne contingit: quem tum memineris in eodem gradu ſeruare, vt materia lentè & æqualiter ſublimetur; & cum videris tardius ſublimari, augeto aliquantulùm ignem; ſin omninò deſinit ſublimari, gradum eò vſque intende, vt vitri fundum candeſcat: quod ſi nec tum quidem quicquam amplius aſcendit, ſine vt refrigeſcat, demptoque alembico, ſublimatam inuenies materiam, inſtar niuis albam, ac vitri inſtar perlucidam, quæ quidem eſt intrinſecj eius in extrinſecum conuerſio. Porrò in cucurbitæ fundo aliquantulùm fuſci pulueris inuenies: quod in interioribus partibus latuerat, nihil aliud eſt, quàm fæcis genus quoddam, ponderis tamen non expers. Id igitur tanquam inutile abiice, & materiam tuã cucurbitæ impoſitam, iterum ſublima, vt prius: fæcibuſque, ſi quæ ſint (quod tum non arbitror) abiectis, ſublimationem repete: donec materia inſtar criſtalli ſit perlucida, omnemque niuis albedinem ſuperet: tum namque ſatis erit ſublimatum: quo autem ſæpius ſublimatur, eò faciliùs, & lentiori igne aſcendit, eoque ſpiritualior fit, & ſubtilior, ac etiam proiectionis ſubtilioris. Neque enim alia eſt Lapidis multiplicatio, quàm ſublimatio, & diſtillatio ſæpius repetita, quæ tandem reddi poteſt, vſque eò ſubtilis, vt vitrũ: licet vno pede dẽſius ſit penetraturus, neq; vllis omnino vaſis poſſit contineri. Et quicunque aliam multiplicationem quærit, vel intelligit, is artem ignorat. Cœterum ſublimatione finita,

Sublimatum Lunæ color albus.

nita, ſequitur materiæ calcinatio, hoc modo. Materiam tuam ſublimatam,ad impalpabilitatem ſuper marmor, pulueriſa, impone phialæ vitreæ,quæ ignem ferre valeat,fũdoque ſit lato, ac plano,materiæ ſuperficiem penna, vel pede leporino,æquato. Tum in arcano furno, in quo ſpiritus calcinantur,colloca,primumque impone interius operculum, quod teſtam obtegit, quo forti luto,ne fundatur,adaptato, exſiccatoque, alterum ipſius furni operculum adluta, ac demùm eo itidem exſiccato:tertium,quod furni marginib.quadrans, reliqua omnia opercula tegit. His actis,ignem furno ſubiice,primis ſex horis valde lentum,quem deinceps de ſex horis in ſex horas ita augeto,vt poſt 14 horas ab igne primum accenſo, manum tuam per quadratum illud foramen,quod in furni latere eſt, non poſſis abſque noxa intromittere,& vas in furno ſuſpenſum,ſi madido linteo, ad baccillum aligato,contingatur,non aliter ſubrideat,ſeu crepet, quàm lapis calefactus, cum aqua vel ſputum ei iniiceret. Hunc gradum per 40. dies continuato, bacillo ſubinde per foramen iniecto, vt de iuſto gradu tibi conſtet: poſt id tempus furno per tres aut quatuor dies refrigerato, materiam tuam inuenies probè calcinatam, præparatamque, vt frigido & humido loco in claram aquã ſoluatur, ſiccoque calore iterum congelatur: quam quidẽ naturã opus eſt,vt Lapis in calcinatione acquirat, quando alioquin in ſimplicem aquam non poſſet reduci, nec poſtea diſtillari. cùm tamen omninò neceſſe ſit, vt ſubtilis reddatur,ſiquidem abſque ſubtilitate ad proiectio-

nem faciendam esset inutilis. Sic Lapidis mate-ria, sæpius ex vna natura in aliam, arte, est tran-sponenda: donec omnia opera in ea sint perfe-cta, quæ ad eius processum requiruntur: tãdem-que ad eam naturæ perfectionem sit perductus: vt nulla arte, vel in peiorem, vel in meliorem naturam possit traduci: sed in suo statu in æter-num maneat. Iam verò materiam distillatam, in aqua communi dissolue. Posset quidem marmo-ri instructo, 8, vel 9 duerum spatio per se solui: sed propter puluerem & sordes, quæ sæpe inci-dunt, ipsamque aëris, & humiditatis impurita-tem (cui ne attracta sit solutio) præstat dictam materiam, vt pura conseruetur, huiusmodi vi-tro, cum operculo itidem vitreo, ad orificium adlutato, imponere: eique interdum non nihil aquæ sæpius distillatæ; vt nullas post se fæces re-linquat, infundere, totaque, propter subtilita-tẽ suam facilè in aquam soluetur: quod id quod subtile est, facilius & minori humiditate, quàm id, quod impurum est, & crassum in aquam re-ducitur. Porrò, materiam tuam hoc processu, absque vllis peregrinis, corrosiuis, in simplicem aquam reductam, adlutato ad rostrum, quod in ventre vasis vides, receptaculo, pone in cinerib. & aquam communem ad siccitatem vsque ab ea distilla; tum dempto operculo, tãtum aceti plu-ries distillati materiæ affunde, quantum ad eam soluendam requiratur: idque adlutato rursum operculo per balneum, tepido calore abstrahe, & nouies affunde, & distilla, vt prius, idque nouo tãdiu aceto repete, donec materia non amplius congeletur, sed instar pulchri olei maneat. Est

namque eius albedo foras producta,& rubedo intro compulsa. Sic Lapidis materia sæpius trãsmutanda est, & modo in terram modo in spiritũ & modo in calcem, modò in aquam, modò in oleũ. Etenim si in initio non fuisset aperta, quo modo potuisset sublimari? Si deinde non calcinata quomodo in aquam simplicem solui? demùm si in oleum conuersa, quomodo distillari, ac subtilis reddi, vt virtutem acquireret, metalla omnia in Solem aut Lunam transmutandi? Atque hic est, quod Philosophi, pro varia huius materiæ natura, varia ei nomina indiderunt: apertam namque,& spiritualem redditam, vocauerunt rem vilem: sublimatam, serpentem, ac rem venenosam: calcinatam, Sal: solutam, aquam, ac rem, quæ vbique locorum inuenitur: in oleum reductam, rem viscosam, vbique venalem congelatam terram, pauperibus æquè ac diuitibus communem: albedine ab ea abstracta, lac virginis, ac rem albam, distillatamque: eius rubedinem, ac rem rubeam; & sic deinceps, prout materiam in diuersas naturas, conuertebant, ita variis nominib. eam appellarunt. Ergo materia in clarum, atq; albũ oleum redacta, vas tuum ex balneo exemptum, colloca in cineribus, atque magnum receptaculum, quod in ventre itidem rostrum habeat, adluta: Neque enim amplius per Alembicum est distillandum, ne crebris transmutationibus, ex materia aliquid depereat: sed huiusmodi rostrata receptacula, alternis vicibus cineribus sunt imponenda: vt materia sola, rostrorum apertione, ex vno in alterum distilletur. Itaq; lu-

to; quo & orificia, operculum, & receptaculi rostra sunt lutata, exsiccato, ignem subtrahe, primò lentum, deinde fortiorem, per gradus, donec videris albissimum spiritum guttatim in receptaculum ascendentem: tum gradum serua, dum amplius non distillet: tunc augeto ignem, & obserua diligenter, an nulli spiritus albi amplius ascendant, nullæque guttæ per vitri rostrum decidant: tum vbi per se refriguerit, receptaculum probè obstrue, & habebis in eo spiritum album, ab oleo rubeo separatum, ac proinde materiam in duas partes diuisam. Restat vt singulas partes ad eas subtiles reddendas, per se distilles. Quando vtraque tam rubea quàm alba, crebris distillationib. vsque eò euadet subtilis, vt earum proiectio in infinitum sese extendat. Atque hæc vera est, & vnica Lapidis multiplicatio: neque vlla alia excogitari potest. Etenim quando Lapis ad summam suam virtutem est semel perductus: nulla deinceps in eum cadit mutatio: neque in peius, aut melius potest traduci: sed in vno eodemque statu in æternum permanet. Vnde in quo Lapide, post perfectã eius præparationem, adhuc sequitur multiplicatio, eum scitò non esse verum Philosophorum Lapidem, de quo hic agimus; sed aliquam aliã medicinam, per quam non nego, quin fieri possit proiectio. Itaque istæ duæ partes, nempe spiritus albus, & oleum rubrum, vase, furnoque distincto, sunt distillandæ. Etenim pars alba lento: rubra non nisi fortiori igne ascendit: quanquam & hæc post tertiam aut quartam distillationem, faciliùs, ac leuiori igne incipit ascendere:

re:

re: quóque ſpiritualior & ſubtilior redditur, eò tandem facilius, & minori igne diſtillatur. Hic verò; illud diligenter notato, materiam, quæ lento igne aſcendit, admodum tenuem ac ſubtilem fore: quæ tum, tamdiu eſt diſtillanda, rediſtillandaque donec rurſum videatur ſpiſſior atque aſcenſu difficilior euaſura: continuata nempe diſtillatione, materia tam alba quam rubea, rurſum denſa ac demum dura fieret, fortique igne ſubiecto, funderetur, antequam euolaret, adeoque vna parte euolante, potior pars per vitrum penetraret, & ibi periret. Quare materia tua cum paruo igne incipit aſcendere, & valde tenuis eſt ac ſubtilis; ac poſtea videbis paulò fieri denſiorem, ignisque gradum tibi aliquantulùm eſſe augendum; tum ſcitò ſatis eſſe diſtillatam; quādo diſtillatio poſt id tempus, adhuc octies aut decies repetita, id tibi vſu veniret, cuius modò mentionem feci. Singulas ergo partes ſeparatas vitris impone, quæ probè obturata, dum quis ſit earum vſus, te docuero, ſerua. Habes iam vnam tui pulueris partem ſolaris præparatam, ac ſubtilem redditam, ad Lapidem ex eo cōficiendum. Reſtat vt ad alteram veniamus, quam ſeruare te iuſſeram, ad eam corporalem, ac fixam reddendam. Eam igitur in reuerberatorio, flamma perpetuò materiam feriente, reuerbera, donec puluis inſtar ſpōgiæ intumeſcat; deinde exempta, cum aceto diſtillato, ſuper marmor ad impalpabilitatem tere, tum affuſa magna aceti rectificati quantitate, in capaci receptaculo in balneo calido colloca; vaſe prius bene concuſſo, vt materia cum

Perfectæ diſtillationis ſigna.

Proceſſus ad Solem corporalē fixum reddendum.

aceto ritè commisceatur: stet ibidem per 4, aut 5. dies ac subinde bacillo moueatur. Demùm facta residentia, quod clarum est, in aliud vas separa, idémque repete, donec tota materia sit soluta, nec quicquam in fundo relinquatur: Tum solutionem omnem, lento igne cinerum euaporando, in siccum puluerē congela. Tum rursum, dum intumescat, reuerbera, quod plus minus octo dierum spatio continget: cum Aceto distillato tere, & in eo solue, vt prius, & congela, & tertiò ad tumefactionē reuerbera, quod quatriduo ad summum continget, flamma non ita vehementi, vt materia fundatur. Hoc facto, cum Aceto rursum super marmor tere, in balneo solue, & congela: quartò reuerbera, dum intumescat: tum cùm aqua communi distillata, tere, in eaque frigida solue; quod facilè fiet, habebisque materiam Lapidis, absque vllius corrosiui admistione, in aquam simplicem redactam, quæ in humido frigore soluitur, & in sicco calore congelatur: quod est materiæ Lapidis proprium: tumque intelligatur intrinsecū eius, hoc est albedo, in extrinsecum, hoc est rubedinem conuersam, & e cōtra. Iam verò materiam hoc modo, in simplicem solutam, in cineribus ponito congelandam, dum humiditas eò vsque sit consumpta, vt superficies pellicula tegi incipiat; tum vas refrigeratum furnoque exemptum in cella frigida, & humida colloca; & materia instar salis petræ, aut aluminis candidi lapillos congelabitur. Quibus exemptis, quod reliquum est, dum pellicula rursus appareat, euapora, vt prius; iterumque congela, & euapora: & hunc pro-

Solis reuerberatio solutio, & congelatio sæpius repetenda.

processum continua, donec tota tua materia in Lapides sit collecta. Hos omnes phialæ impositos, in cineribus calidis colloca; & protinus in aquam conuertentur. Quos ad siccitatẽ euapora, & habebis puluerem album, quem per duas, aut tres orationes dominicas, in reuerberatorio pone, eo calore, vt duntaxat rubescat, tum exime, vitreoque vasi imposito, aquam communem distillatam superfunde & viginti quatuor horarum spatio facilè, extra balneum, in claram aquam soluetur, aliquantula fæce in fundo relicta, quæ quidem eius fæx est interior, neque à materia separatur, antequam eius intrinsecum in extrinsecum sit conuersum: hanc fæcem, vt inutilem, abijce, quemadmodum et eas omnes; quas in singulis solutionibus inuenies: neque enim fieri potest, vt in ignitionibus solutionibus & congelationibus. Materiam à puluere, & cineribus ita tuearis, vt non semper aliquid in ea incidat. Solutione perfecta, quod clarum est, per filtrum abstrahe fæcibusque nouam aquam distillatam affunde, & facta residentia, filtra, vt prius, fæcesque, nequid ex Lapidis tui materia perdatur, tamdiu aqua communi ablue; donec certò scias, nihil amplius inesse. Porrò omnes aquas tuas per filtrum abstractas, in vnum collige, & congela: tum per tres, aut quatuor orationes dominicas reuerbera vt prius; solue rursum, fæcesque ablue, distilla per filtrum, & congela; Hasque congelationes, solutiones & ignitiones seu reuerberationes, quotieslibet repete; quando per eas multum lucraberis; materiaque tandem ita subtilis potest reddi, vt si tribus aut

Solis in lapillos cõgelatio.

Lapillorum, in aquam solutio & cõgelatio.

Solutio ad fæcem interiorem separandam.

quatuor diebus soluta, in vitro relinquatur, vitrum sit penetratura. Quod, ne fiat, satisfuerit materiam decies septies, vel decies octies, reuerberare, soluere, & congelare. Quo facto, habebis puluerem præparatum, vt cum spiritibus misceatur, & vniatur: quem in pixide vitrea, ad vsum serua. Atque hæc est absoluta vtriusque partis materiæ tuæ ad Lapidem ex ea conficienciendum, præparatio. Et quicunque alijs processibus ac via tentat: is errat, nec se ipsum intelligit. Possunt quidem ex Sole variæ fieri medicinæ, quæ magno cum emolumento, ac lucro proiectionem faciunt. Sed Lapis physicus alia, atque hac, quæ hoc loco tradita est, ratione fieri non potest: quin & ex Sole ita præparato.

FINIS HVIVS TRACTATVS.

Iohannes iste Isaacus Hollandus vixit paulò post Arnaldum Villanouanum, & Raymundum Lullium, cuius Pater fuit insignis Philosophus, & Alchemista, vt eius Filius refert in opere Saturni. At Filius edoctus à Patre, longè superauit illum in omnibus scientiis. Si extarent eius opera, & in lucem mitterentur, Paracelsi opera sepelirentur. Hic ipse Isaacus Hollandus ille est, de quo Paracelsus vaticinatus est, dicens: *Et veniet post me Elias Artista, qui abdita rerum patefaciet.* Præuidebat Paracelsus Isaaci opera fore tandem manifesta; & peruentura ad manus Doctissimorum virorum. Quia verò pauca legentes de multis dubitare necesse est; ita etiam legendo, & nihil intelligendo in Paracelsi scriptis, ob vocabulorum obscuritatem; idem euenire necesse est. Cùm autem incidissem in Isaa-

ci librum de Opere Vegetabili; reperi, de verbo ad verbum doctrinam de Tribus Principiis, & de separatione quatuor Elementorum ab eo desumptam: vnde constat illum præcipua sua opera suffuratum fuisse, atque hinc inde expilcatum: vt, De gradationibus medicinarum, ab Arnaldo: Archidoxa, à Raymundo Lullio; ex sua arte operatiua: De Arcanis, à Rupescissa. Nihil prorsus à se ipso, præter quàm vitia, & maledicta. Synonima, quibus vtitur, à Doctissimo DOMINO Harlando Anglo tenet. A Tritemio varia. Si quis attentè Arnaldum legerit, & Raymundum in arte operatiua, animaduertet Paracelsum istorum virorum truncasse, & sibi vindicasse, scripta. Legite Landfrancum; animaduertetis Paracelsum ab eodem suam Chirurgiam desumpsisse. Cur non citat Arnaldum, capite de Paralysi, de Galbaneto suo descripto, libro de morbis Tartareis? Plura alia sunt, quæ doctis viris relinquo inuestiganda. Pertæsus vitæ præsentis, aperio vobis studiosis viam, qua poteritis ad meliora, & faciliora peruenire; & alium Eliam Artistam expectare nolite, præter Isaaci Hollandi opera. Ipse enim tam apertè loquutus est, vt nihil supra. Vos interim, Lectores, Beneualete Cal. Ianuar. 1608.

AVCTOR AD LECTOREM.

Candide Lector habes nostri monumenta laboris,
Quæ non obtulimus laudis amore tibi:
Ast, instar stimuli, dedimus, quæ pectora firment,
Quæq; animum stimulent, exhilarentq; tuum:
Vt deinceps meliora tuo tu Marte, vel Arte
Præstes. Interea, Lector Amice, Vale.


Bvsvs non tollit vsum 95
Acetū sumitur pro oleo inceratiuo 173
Achillis Vmbra 37
Admonitio ad Lectorem 15
Æsculapius 30
Alchemia quid præstet 95. Domum Dei 108. Quid sit 116. Eius arcanum laret in spiritibus 165
Alchimistæ fere omnes in materea lapid. errant 93.105
Alterantia frigida, Calida, Humida 21
Angeli, quid possint 35
Antimonij Magisterium 13
Aquæ Mercurialis rectificatio alia 143
Aqua Mercurialis alia 145. Alia, qua Mercurius omnis à corporib. exeritur 146. Alia 147. Alia 148. Alia 149
Aqua Salis Armoniaci 149
Aqua tingens, mirabilis 151
Aqua Alkali secreta 68
Aqua alia magnarum virium 70
Aqua alia mirabilis ad obstruct. Hep. Lienis, Renum, &c. 71
Aqua alia, Vlcera Tibiar. Lupum, cācrum &c. sanans 70
Aqua mercurialis magnarum viriū in Medicina 68
Aqua mirabilis ad Calculum 66
Aqua Mercurialis 141. eiusdem rectificatio prima 141. secunda 142
Argentū viuū, à Mercurio differt 157
Arnaldus de Villanoua 8. idem, de simplicibus 17. de Physicis ligaturis 52.86.87.94
Arsenici sublimatio 181
Auicennę opinio, de potētia in corporea 34. item de lap. philos 88
Auripigmentum. 181
Authores cōpendiorū laudādi pag. 7
Balsami formula 100
Balsamum præparādi formula 58. Vries 59. Quibus morbis prosit 59
Balsamus artificialis 74
B. Brigidda 54
Bezoar qualis 9
Cabala 18.20 36.37.40.41.42.43.44
Calcinatio spirituum 168
Camphoræ mirabilis præparatio, ad cancrum vlceratum, &c. 74
Carolus Doctoris Sorbonici famulus
Cancro, remedium 75
Catharticum catholicū minerale 72
Chemia inter artes non postrema 85
Chiffir minerale quid 94
Chyron 30
Clauis artis, est Sol communis 164. Aqua communi facilè soluitur 165
Cōpendiorū Authores laudādi pag. 7
Conciliator 8
Costabe Lucæ de Physicis Ligaturis 52
Cornelius Agrippa 40
Curandi via triplex 31
Damascenus 28
Daemon meridianus quos morbos inferat. 32. Quid sit, 33
Dæmonum potentia quænam 32
Deber, quid 33
Denarius numerus 20
Dionysius Areopagita 34
Distillatio 179
Duplex medendi via 17
Disenteriæ remedium 75
Eduardus Kelleius Anglus celebris chimista 91.139
Emplastrum ad sedandos dolores acerbissimos 74
Emplastrum optimū ad vlcera &c. 73
Elixir, siue tinctura alba & rubra 108
Enothea Petroniana 38
Epilepsiæ remedium 73
Esdras suffragatur Alchemistis 98
Fermentatio 124
Fermentum quid 180
Fixatio 170
Forma est principium actionis 35
Fuessius Norimberg. Med. 19
Galenus 8.28.29
Geber. magister magistrorum 109.110
Germania quib. abundet simplicib. 19
Herbæ magicæ. Coracesiā Callicia &c. 56

INDEX.

Hermes Trismegistus, probat Lap. Phil. 87
Hippocrates quo tempore vixerit 30
IMaginatio fortis, quid præstet 19
Imaginatio quid possit 47 48
In modica quantitate, maxima vis 8
Ioh. Isaacus Holl. vide Isaacus.
Isaacus Hollandus 9 eius opus vegetabile ibid. eius opera detinétur 12
Italia quibus abundet simplicib. 19
KEteu, quid 33
LApidis materia 176
Lapidis Philos subiectum quod 92. Ex quo constet. 116. Quotuplex 102. An vno vase & furno 103. 117. 118. 119. vsque 124
Lapis Philosophorum Ruber. 9
Lapis Philosophicus ex sola Luna non conficitur 192
Lapidem Philos. cur pauci assequuti sunt 88
Lapillorum Solis in aquam cõgelatio 201
Lapid. Philos vires. 92. diuersa nomina. 94. vnde conficiatur 98. 106. 109
Lingua Auis. pag. 11
Luna 192. Eius morbi 193. sublimatæ color albus 194
MAchaon 30
Magiæ species diuersæ 44. in quo consistat 48
Magi Ægyptij 38
Magica ars 36. 37. 39
Magica facultas in quib. consistat 20
Marsilius Ficinus Probat. lapid Phil. 87
Martini Rulandi Centuriæ 12
Materia lapidis 94. 96
Medicamentum Primum 22
Secundum, Tertium, Quartum, Quintum 23
Sextum, Septimum, Octauum 24
Nonum, Decimum 25
Medici ante Hypocratem vno vsi medicamento 17
Medicina in corporea 18
Medicina rudis aute Hippcr. 30
Medico quid cognoscendum 8
Medicus qualis esse debeat 21
Menecrates 40
Mel 9
Mercurij sublimatio 183
Mercurius Physicus 106. 108. 134. Mercurius vitæ 155
Metallarũ generationem perpenderunt Veteres. 164
Metallorum metamorphosis diuersarum gentiũ consensu probatur 87
Moly Homericum 13
Morbi animæ 17
Morbi à Dæmonæ meridian 032
Morbi Gallici remedia &c. 76
Morbi Hispanici dignatio 25
Morbi in anima, quinam 31
Morbi principales quatuor 13
Morbi spirituales. 32
Morbi lunæ 193
Morbus cum Materia 21
Morbus simplex, quid 21
NAtura quatenus subsequẽda 178
Naturæ Solis descriptio 185
Nero 39
Nodis, Thophis, & Scrofulis remedium Singulare 72
OPus primi ordinis 170
Opus secundi ordinis 171
Opus Vegetabili Isaac Holl. 9
Orpheus 18
PAnacha 13
Paracelsus. 12. 46
Paracelsi furta, lingua maledica 202
Perfectæ distillationis signa 193
Pestis remedium non spernendũ 76
Petrus Bonus Ferraciensis affirmat artis certitudinem 9
Petrus Robertus Vallensis author libelli de veritate & antiquitate Chimum 91
Petr. Seuer. Dani Idea Med. 13
Philõis opinio. de Deo, & Creaturis 34
Philosotum Tartarum 143
Picus Miraudula 20. 42

Pithagoras 21
Platonis opinio de potentia incorporea 34
Plin. de Democrito & Pythagora 50
Podagræ doloribus sedandis & tollendis remedium exquisitiss. 71
Podolyrius 30
Polonia quib. abundet simplicib. 19
Præparatio ad Lapidem, prima 111. secunda 113
Principia tria, Sal, Mercurius, Sulphur 175
Proprietates rerum minus cognitæ 19
Processus ad Solem corporalem fixum reddeneum 199
Pulueris rubri semigrano ℥iiij.ß plûbi in aurum conuersæ 90
Putrefactio 179
QVinta essentia 104
Quaternarius numerus 104
RAymund. Lull. 12.58,86.87.92.94
Renum obstructionibus calculo Renû & Vesicæ remedium opt. 71
Rerû omniû, in Mercuriû reductio 137
Rex Albus 115
Ros Solis 9.10.11
Sacolarum 9
Sanguinis Cuniculi præparatio 66
Sindavu. 9.11
Siti Febricitantium, remed. 76
Solaria Herba. pag. 11
Solaris operis processus 186
Sol communis, est Clauis artis 164
Sol in albedinem, & rubedinem seperatur 188
Solis natura descriptio 185
Solis secunda solutio 189
Solis spiritualisandi processus 189
Solis reuerberatio, Solutio, & congelatio sæpius repetenda 200
Solis in Lapillos congelatio 201
Solutio 179
Solutione facta, Deus, non natura amplius sequenda 179
Solutio ad fæcem interiorem separandam 201
Specificæ Receptæ. Ad Phrenitim. Ad Stultitiam. Conuulsionem. 60. Cinicum Spasmum. Faciei tubercula, 61, Ad oculor. inflamm. Collyriû 1. Collyr II. 62. Ad Surditatem. 62. Ad Apostema Pleuriticum. Ad Herpetes, & Formicas. 63. Ad Lienteriã; Dysenteriam, & Diarrhæam. Ad ani procidentiam, & Tenesmun. Ad Dolorem Ischiadicum. 64. Ad Podagram. 65. Ad Lapidem Renum 66. Ad Hemicraniam inueteratã. Ad Pulmonum vlcera. Ad Vteri Suffucationem. Ad partum facilẽ reddendum. Ad desperatiss. partiû conuulsiones. 67. Ad vulnus breui spatio sanãdû. Secretû ad Hidropẽ. Præparatio Salispetræ in Pleurisi .68
Spirituum calcinatio. Solutio 168
Suares 48
Subiectum Lapidis Philos. quodnã 92
Sublimandi ratio 181
Sublimatio Arsenici 181
Mercurij 183
Sublimatio Philosophica quænã 103. 110. 111. Necessaria. 167
Tartarum Philosophorum 143
THaddæus Agetius Doct. *Med.* Pragensis 94
Theobald. de *Hochelande* probet Lap. Philos. 87
Theurgica *Magia* 44
Tinctura alba & rubra, vnde fiat 108. 110
Thomas Aquinas probat Lapid. Phil. 86.87.89
Thomas *Morus* 47
Tria principia; Sal, *Mercurius*, Sulphur. 175
Triplex est curandi via 31
VErbi Dei neglectus caussa multarû Superstitionum & artium Diabolicarum 48.49
Vinum congelatum, vapescit 133
Vnum, quid sit 21
Vnus *Morbus* quid ibid.
Zaccharum 9

FINIS.

